15. 4. 503

15. 4. 503

Digitized by Google

Digitized by Google

P. VERGILI MARONIS
OPERA

RECENSVIT

OTTO RIBBECK.

PROLEGOMENA CRITICA.

LIPSIAE.
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXVI.

ERMANNO LOESCHER
Libreria di
Firenze.
1, Via de' Panzani 1.
5, Via Carlo Alberto 5.
Torino

In **B. G. Teubner's** Verlag in Leipzig sind ferner erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

...onymi Orestis tragoedia emendatiorem edidit I. Maehly. 16. 1866. geh. 12 Ngr.
...ani fabulae XXXXII ad Theodosium. Ex recensione et cum instrumento critico Guilelmi Froehner. 12. 1862. geh. 12 Ngr.
...mbach, W., Friedrich Ritschl und die Philologie zu Bonn. gr. 8. 1865. geh. 7½ Ngr.
...heler, Franz, Grundriss der lateinischen Declination. gr. 8. geh. 10 Ngr.
Catonianae poesis reliquiae. Ex recensione Alfredi Fleckeiseni. gr. 8. 1854. geh. 6 Ngr.
M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant. Henricus Jordan recensuit et prolegomena scripsit. gr. 8. 1860. geh. 1 Thlr. 20 Ngr.
Comicorum Latinorum praeter Plautum et Terentium reliquiae. Recensuit Otto Ribbeck. gr. 8. 1855. geh. 3 Thlr.
Cornifici rhetoricorum ad C. Herennium libri IV. Recensuit et interpretatus est C. L. Kayser. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.
Corssen, W., über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache. Von der Königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin gekrönte Preisschrift. Zwei Bände. gr. 8. 1858. 1859. geh. 5 Thlr. 12 Ngr.
—— kritische Beiträge zur lateinischen Formenlehre. gr. 8. 1863. geh. 3 Thlr. 24 Ngr.
—— kritische Nachträge zur lateinischen Formenlehre. gr. 8. 1866. geh. 2 Thlr. 8 Ngr.
Ennianae poesis reliquiae. Rec. Ioannes Vahlen. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr.
Fleckeisen, Alfred, zur Kritik der altlateinischen Dichterfragmente bei Gellius. Sendschreiben an Dr. Martin Hertz in Berlin. gr. 8. 1854. geh. 9 Ngr.
—— kritische Miscellen. gr. 8. 1864. geh. 12 Ngr.
Fritzsche, Hermann, zu Theokrit und Virgil. gr. 8. 1860. geh. 8 Ngr.
Iulii Frontini de aquis urbis Romae libri II. Recensuit Franciscus Buecheler. gr. 8. 1858. geh. 15 Ngr.
Grammatici Latini ex recensione Henrici Keilii.

- Vol. I. fasc. 1. **Flavii Sosipatri Charisii** artis grammaticae libri V ex recensione Henrici Keilii. gr. Lex.-8. 1856. geh. 3 Thlr.
- Vol. I. fasc. 2. **Diomedis** artis grammaticae libri III, ex Charisii arte grammatica excerpta ex recensione Henrici Keilii. gr. Lex.-8. 1857. geh. 3 Thlr. 10 Ngr.
- Vol. II. fasc. 1 & 2. **Prisciani** grammatici Caesariensis institutionum grammaticarum libri XVIII ex recensione Martini Hertzii. Vol. I. fasc. 1 & 2 libros I—XII continens. gr. Lex.-8. 1855. geh. 6 Thlr. 10 Ngr.
- Vol. III. fasc. 1. **Prisciani** grammatici Caesariensis institutionum grammaticarum libri XVIII ex recensione Martini Hertzii. Vol. II. libros XIII—XVIII continens. gr. Lex.-8. 1859. geh. 4 Thlr.
- Vol. III. fasc. 2. **Prisciani** grammatici Caesariensis de figuris numerorum, de metris Terentii, de praeexercitamentis rhetoricis libri, institutio de nomine et pronomine et verbo, partitiones XII versuum Aeneidos principalium, accedit Prisciani qui dicitur liber de accentibus ex recensione Henrici Keilii. gr. Lex.-8. 1860. geh. 2 Thlr. 10 Ngr.
- Vol. IIII. fasc. 1. **Probi** catholica institutа artium de nomine excerpta de ultimis syllabis liber ad Caelestinum ex recensione Henrici Keilii. — **Notarum Laterculi** ex recensione Th. Mommseni. gr. Lex.-8. 1862. geh. 3 Thlr. 20 Ngr.
- Vol. IIII. fasc. 2. **Donati** ars grammatica, **Servii** commentarius in artem Donati, de finalibus, de centum metris, de metris Horatii, **Sergii** de littera de syllaba de pedibus de accentibus de distinctione commentarius, explanationes artis Donati. gr. Lex.-8. 1864. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

Grani Liciniani quae supersunt emendatiora edidit philologorum Bonnensium heptas. gr. 8. 1858. geh. 16 Ngr.
Gruppe, O. F., Minos. Ueber die Interpolationen in den Römischen Dichtern mit besonderer Rücksicht auf Horaz, Virgil und Ovid. gr. 8. 1859. geh. 3⅓ Thlr.
Halm, Dr. Carl, Beiträge zur Berichtigung und Ergänzung der Ciceronischen Fragmente. Separatabdruck aus den Sitzungsberichten der K. Akademie zu München. gr. 8. 1862. geh. 8 Ngr.

P. VERGILI MARONIS

OPERA

RECENSVIT

OTTO RIBBECK.

PROLEGOMENA CRITICA.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE

LIPSIAE.
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXVI.

Digitized by Google

PROLEGOMENA CRITICA

AD

P. VERGILI MARONIS

OPERA MAIORA

SCRIPSIT

OTTO RIBBECK.

LIPSIAE.
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXVI.

Digitized by Google

LIPSIAE. TYPIS B. G. TEVBNERI.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Prolegomenis — sive epilegomena males dicere quae olim promissa, intermissa saepe et satis longa per tempora, inter armorum denique tumultum ad finem deducta quarto post absolutam textus editionem anno tandem exponuntur magis quam emittuntur — comprehendere volui quidquid Vergilianis carminibus inde ab ipsius auctoris manu per decem amplius saecula accidisse novimus, non ut ad huius tantum poetae textum prudenter ac fortiter recensendum solidum strueretur fundamentum, sed ut luculento exemplo etiam inperitioribus appareret, quam dubia fide vel ferventissimis grammaticorum illustrissimorum studiis et magnificentissimo exemplarium venerandae vetustatis apparatu integritati scriptorum antiquorum servandae provisum sit. Sed ipsa studia illa aliquanto plenius enarrari et rectius aestimari potuissent, si perfecta tam grammaticorum, quorum corpus H. Keilius praeclare incohavit, quam scholiorum Vergilianorum emendatione eorum, quorum integri commentarii perierunt, reliquiae ex fontibus suis deductae et in eruditionis illorum temporum historiam redactae fuissent. Interim Servianorum quorundam locorum varias lectiones ex copiis suis solita liberalitate prompsit Gustavus Thilo, de Bernensibus autem scholiis quaerenti amicissimo respondit Hermannus Hagen, cui cum singulas huius libri plagulas transmitti iusserim doctas quasdam debeo adnotationes, quibus praeter *addenda* vel *corrigenda* alia hic locum esse volui.

Ad prolegg. p. 99: Antibucolicon auctori nomen *Numitorius* fuisse Hagenus quoque suspicatur: nam et in Bernensi libro *numinatoris* (punctis m. 2, sed saec. X positis) extare et illud ipsum nomen in Sangallensi archetypo certis quibusdam de causis videri scriptum fuisse. Praeterea in Pithoeano saec. IX, cuius varias lectiones nuperrime Woelfflinus in Philol. XXIV 153 sqq. ex schedis Ludovici Roth edidit *numinatoriis* extat, quod ipse quoque *Numitorius* interpretatus est. Ad prolegg. p. 101 docte et acute Hagenus haec adnotavit, quae ut hic insererem liberaliter permisit:

'Scholii Bernensis ad ecl. VI, 17 [*'Cantharus*, allegorice quidam uolunt *Hieriam* (*ieram* B) intelligi (om. B, supplev. M) Maecenatis ancillam, quae dicitur uinosa (ingeniosa B) fuisse, quidam Vari (uarri B) amicam]' inmemor erat Ribbeck eum proll. p. 101 Plotiam *Galeriam* legendum esse conicicbat eamque L. Varii uxorem fuisse suspicabatur. Id enim haud dubie recte vidit, rem ad ecl. III, 20 a Seruio prolatam de Vari tragoediarum scriptoris uxore deque adulterio inter eam et Vergilium exercito deque tragoedia supposita ad L. Varium et Plotiam istam et Thyesten fabulam (conf. Verg. vit. Donat. § 81) spectare eandemque rem mutatis mutandis, ut aiunt, et a Suetonio in vita tangi; quocum bene conveniunt Suetonii uerba: '*uulgatum* est consuesse eum et cum Plotia Hieria', cuius *vulgatae* opinionis vides a Seruio luculentum exemplum proferri.

In eo vero, quod *Galeria* scripsit, falli uidetur. In vita enim, ut in Sangallensi codice (saec. X) diserte *hieria* legitur, ita in Bernensi non *gleria* habetur quod Müller sui non inmemor nugatur, sed *ģeria*, hoc est, scriptum fuit primo *geria*, correctum deinde (m. 2, sed saec. X) *ieria*. Nam quae littera suprascripta est illi *g*, non *l* esse sed *i*, cum multi alii codicis 172 loci doceant, quibus *i* in verborum initiis longiore ductu scribi solet, ut quasi *l* esse videatur, tum luculenter ostenditur loco p. 62, 11 R., ubi in B habetur *iactatum*, littera *i* eundem in modum erecta, quod cum non intellegeret Reginensis codicis librarius, *laetatum* scripsit. *Geria* autem pronuntiandi vitio ex *ieria* ortum esse docet simillimum exemplum in Hermanni Vseneri de scholiis Horatianis libello (Bernae prooem. aest. 1863) p. XXXI obvium,

ubi Sallustii verba 'set Metello Cordubae hiemante' sic in cod. Bern. 370 (schol. Lucan.) scripta sunt: 'set metello cordu ba& gemanti.' Inde mehercle vitio propagato Reginensis scriptura *egeria* fluxit. Deinde apud Seruium ad ecl. II, 15, quem locum eodem pertinere acute uidit Ribbeck, *Leria* habetur, quod ex *ieria* eodem modo ortum est, quo pro *iactatum* scripserat Reg. librarius *laetatum*. Vnde et Danielis 'Plotia *Aleria*' petitum esse patet, *a* littera perperam duplicata. Quibus si addas schol. Bern. ecl. VI, 17, ubi *Iera* quaedam Maecenatis ancilla vel Vari amica dicitur, quem locum conlato Seruio ad ecl. II, 15 huc pertinere nemo negabit, manifestum certe uidebitur, istius mulieris nomen Plotiam *Hieriam* fuisse, non *Galeriam*. De altero quod l. l. Ribbeck coniecit, fuisse istam Plotiam L. Varii *uxorem*, quae sententia Servii loco ecl. III, 20 solo niti videtur, ob id ausim dubitare, quia in tanto fabellarum cumulo congesto haud immerito quis possit conicere, unam ex istis fabellis fuisse eam, quod Plotiam, quae Varii esset *amica*, eius *uxorem* fuisse obtrectatores fingerent, nimirum ut *adulterii* crimen Vergilio insuper obicere possent. Vt quae Servius toti narratiunculae praelusit, 'rem nusquam lectam' dicere obtrectatores, ad id quoque pertinere dicas, quod Plotiam Varii *uxorem* fuisse ementiti sunt.

Accedit quod Hieria et a Servio ad ecl. II, 15 et in scholiis Bern. ad ecl. VI, 17 consentienter *Maecenatis fuisse ancilla* dicitur, et insuper in his *Varii amica*. Quid? quae ibidem de Hieria traduntur, vinosam eam fuisse ob idque *Canthari* nomen ei inditum esse, nonne fontem satis reconditum notitiamque non ita vulgarem ostendunt, quam in Servio ecl. II, 15 Ribbeck desiderabat? Denique parum credibile, si *uxor* Varii erat, palam eam professam esse, vel ut Suetonii verbis utar, narrare *solitam* invitatum Vergilium ad sui communionem, atque hoc etiam minus, invitatum ab ipso suo marito Vario, ad *adulterium* scilicet, si *uxor* erat. Nam verborum 'ad communionem sui' vis satis patet. Vereor enim, ut etiamsi calumniatam esse Plotiam suum maritum fingas, quod Ribbeckio placuit, totam ita rem simpliciter expedias. Manet autem vel sic scrupulus, cur de coniugalibus istis inter Plotiam et Varium rationibus et Suetonius

et Asconius Pedianus pertinaciter tacuerint. Adquiescendum igitur in eo, ut schol. Bern. ecl. VI, 17 secuti Plotiam Varii *amicam* fuisse dicamus.' Ad prolegg. p. 110 adnot. docuit Hagenus in Servii codice Bernensi 172 ad Aen. III 154 ro vera extare '*rerum*' (h. e. *serum*) 'auxilium.' Ad prolegg. p. 122: In scholio Veronensi ad Aen. III 705 *Philistos* pro *Milestos* scribendum esse M. Hauptius in Hermetis vol. I p. 256 coniecit. Ad prolegg. p. 125: Servii codicem Bernensem n. 167 in adnotatione ad Aen. X 547 non *Corinthus*, ut vulgo fertur, sed quod Ruhnkenius coniectura adsecutus erat *Cornutus* exhibere docuit me Hagenus. Ad prolegg. p. 137: Probi de accusativi pluralis terminatione IS vel ES testimoniis addendus erat locus in institutis artium p. 96, 14 sqq. K., ubi 'ex utroque sono' Maro Aen. II 490 *postes* et 442 *postis* scripsisse fertur. Ad prolegg. p. 150 sqq.: De Probi notis criticis in nuperrimo annalium philoll. fasciculo (1866 fasc. 7 p. 465 sqq.) *Alexander Riese* quaedam disputavit, quae probabilia non videntur. Qui cum ex XXI quarum Suetonius tabulam exhibuit notis praeter alogum, cuius descriptio apud eum casu exciderit, septem tantum eas, quibus usos fuisse Latinos grammaticos diserte monitum est, scilicet asteriscum, asteriscum cum obelo, diplas aperistícton et periestigmenen, antisigmata simplex et puncto auctum, aversam denique obelismenen vel, ut Isidoro auctore mavult, cum obelo aversam ⋖ Vergilio Horatio Lucretio Berytium adposuisse statuat, neque obelum neque cum puncto obolum neque ceraunium, ceteras ut taceam, in horum poetarum exemplaribus ab illo adnotatis apparuisse contendit. At obelum cum puncto versibus Aen. I 21 sq. Probum adposuisse, id quod ipse Riesius olim suspicatus erat, tantum non disertus testis Servius est (v. prolegg. 142). Nam antisigmatis cum puncto, quo dittographiae notabantur, hoc loco nullus omnino usus erat, ubi omissis quidem 19 sq. versum 18 ne possent quidem excipere v. 21 sq. Ergo dubitandi utrum par versuum legendum esset causa nulla, sed tolli 21 sq. salva et sententia et structura facile poterant. Atqui obelo cum puncto si usus est Probus, ne simplici quidem obelo abstinuisse putandus erit, neque illi notae apertius de Romanis testimonium quam huic in Suetoniano tractatu ad-

positum est. Ceterum illa 'item Probus et antiqui nostri', 'item antiqui nostri et Probus', 'similiter in nostris auctoribus Probus', 'in his et nostri ea usi sunt', 'sic et in nostris auctoribus invenitur', 'sic et apud nostros' — quid sibi velint non perspexisse videtur Riesius. Quae si eo spectarent, ut haec sola, non cetera signa Romanis in usu fuisse monerent, sane quae brevem notarum XXI recensum excipiunt apud Suetonium 'his . . . Aristarchus' nec suo loco posita nec integra habenda essent. Itaque valde audacter Riesius coniecit excidisse ante haec earum notarum memoriam, quas ex ampliore numero Romani a Graecis mutuati essent. Multo et simplicius et probabilius emendanda illa suspicor scribendo 'his *et olim* in adnotationibus Ennii Lucilii et scaenicorum usi sunt Vargunteius Laeliusque *et postremo* Probus, qui illas in Virgilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Homero Aristarchus', in quibus haec 'et postremo' quasi flagitare videntur, ut quod eis respondeat 'olim' praecedat; et poterat post *s* litteram facillime *oli* transire in *solis*. In ceteris cum librarii culpa multa corrupta sint, certum mihi videtur eos quos Ennii et Lucilii exemplaria curavisse ipse Suetonius alibi docet, Vargunteium et Laelium Archelaum inprimis laudandos fuisse. Plauti ceterorumque scaenicorum textum num Aelius Stilo emendaverit an cuius alius memoria exciderit, non constat. At M. Ennium criticum, cuius nuper umbram Riesius p. 466 excitavit, ad inferos repellendum censeo. Sed illuc ut redeam, septem illa additamenta in eis maxime notis apparent, quae ab Aristarcho vel primo vel singulari et diversa ab aliis ratione adhibitae sunt, ut huius potissimum exemplum Latinos grammaticos secutos esse, id quod etiam verbis supra laudatis monitum est, denuo adfirmaretur. Nam 'propria Aristarchi' nota dicitur asteriscus cum obelo, asterisco aliter atque Aristophanes, diple simplici post Leogoram multo ampliore consilio usus est Aristarchus, ut in ipso tractatu nostro singulis locis narratum est. Item primus diple periestigmene et antisigmate cum puncto, aliter autem atque Aristophanes Byzantius (cf. Nauckius Arist. Byz. fragm. p. 18) simplici antisigmate usus est Aristarchus, quem constanter imitati sunt Romani. Contra et obelum ante Aristarchum Zenodotus spuriis versibus adfixit et ce-

raunio multitudinem versuum conflagravit Aristophanes, non Aristarchus, nec in ceterorum signorum usu discrimen Graecorum auctorum videtur fuisse, ut notionem simpliciter describere satis esset. Nam certam eandemque in Latinis exemplaribus notarum XX significationem esse vel eis apparet, quae ad chresimon adscripta leguntur: 'haec sola ex voluntate uniuscuiusque ad aliquid adnotandum ponitur'. Ac ne illud quidem praetereundum, praeter simplicem ductum, qui propter figurae quandam similitudinem diplae videtur adiunctus esse, in priore tractatus parte Aristarcheas maxime notas compositas legi hisque solis quomodo utantur Latini grammatici expressis verbis adnotari, reliquarum partem (ut coronida, diplen obelismenen, superne obelatam, aversam obelismenen —<, chresimon, phrontida) communem omnibus, partem vel ab aliis quam ab Aristarcho grammaticis Romanos mutuatos esse vel ipsos invenisse videri. De quibus quod brevius quam de ceteris exponitur, fortasse excerptoris neglegentiae tribuendum. Vilissimum autem illud argumentum, quod ex Ciceronis ad fam. epistula IX 10, 1 elicere animum induxit Riesius, ubi quod ioci causa Aristarchi, non Aelii Stilonis, obelos inferat et Graeco vocabulo, non Latino sagittas puto appellet, omnem huius signi usum a Latinis codicibus alienum fuisse iudicat. Quasi vero in epistulis Cicero Graecam eruditionem non captaret aut ignotum esset quam inter antiquos Aristarchi potissimum obeli celebres fuerint!

Ergo indagavit et confixit Probus spurios versus in Lucretii Horatii Vergilii libris, nec mirandum quod non sola autographorum auctoritate fretus eiecit, sed ad coniecturam aliquotiens confugere debebat. Neque enim singula ipsorum poetarum manu vel conscripta vel emendata exemplaria circumferebantur, sed cum ipsi amicorum causa plura correxissent, et venditores et emptores librorum consentaneum est suorum fidem et pretium ita extollere studuisse, ut ex ipsius auctoris domo et familia et scrinio prodiisse narrarent.

Praeterea p. 472 Riesius minus recte aversam cum obelo positam esse statuit, ubi 'tectius' ad aliquid respiciatur ('verborgene Beziehungen'), cuius usum latius patere p. 150 indicavi; et in eadem pagina Aen. IIII 418 simplici dipla ut

'praeter consuetudinem tam vitae nostrae quam ipsius poetae', quae Suetonii verba sunt, notatum fuisse coniecit, quem non dubito quin asterisco obelato insignitum recte statuerim p. 153 (cf. 142). Ad prolegg. p. 166: Ex scholiis Veronensibus nuperrime (cf. Buechelerus annall. philoll. 1866 p. 66) nova accessit quamvis mutila *Capri* ad ecl. VI 14—19 adnotatio: '*tis eleganter ut ca(per)*', ubi *tis* syllaba fortasse vocabuli *sertis* (v. 19) fuit. Ad prolegg. p. 171: Memoria falsus, ut videtur, *Velius Longus* p. 2220 P. ex Aen. IIII 302 laudavit *trepidant* pro *stimulant*. Ad prolegg. p. 172: *Scauri* commentarios Horatianos non intra artem poeticam inclusos fuisse mihi probavit Zangemeister de Horatii vocibus singularibus p. 40 sqq. Ad prolegg. p. 176: De *Parthinope* forma cf. Schuchardtii de vocalismo latini sermonis vulgaris librum p. 397. p. 214 lin. 12 versus numerus non 552 legendus, sed 52; item p. 314 lin. 1 non ge. IIII volui, sed III. Ad prolegg. p. 300: Interpolati codicis *Romani* ubi solus ex antiquioribus testis est exemplis addere poteram ecl. III 101 *est* copulam nec elegantem, cum in binis versibus contiguis 100 et 102 legatur, et mutato in *γ* et *bm* loco suspectam, rectissime vero in *c* omissam. cf. Wagneri quaestt. Verg. XV p. 441. Ad prolegg. p. 311: Antiquae memoriae vestigium latere videtur etiam ge. IIII 37 in *Palatini* scriptura PALLAE, ubi ceteri *illae* habent: ortum enim illud fortasse ex OLLAE, quamquam in georgicis haec forma non reperitur. Ad prolegg. p. 318: Inter congruentiae Palatini correcti cum Mediceo exempla memorabile quod Aen. VI 561 in *MP2γ2b2c* legitur '*quis* tantus clangor ad auris', ceterorum (*P1Rb1*) scripturae *qui* recte a Wagnero (cf. quaestt. Verg. XXII 3) praelatum. Tamen v. 865 euphoniae causa retinendum duco quod *F1Pγ1bc* praebent '*qui* strepitus', non ex *MR* inferendum *quis*. p. 336 ima quae de Arusiano monui ad *columna* scripturam pertinent, non ad *columnae*.

Ad prolegg. p. 356: Locutionis *vela dare*, quam Aen. IIII 594 Menagianus prior restituit, exemplis ceteris (Aen. I 35 II 136 III 9 191 IIII 546 V 797 VIII 708 XII 264) adnumerandus erit III 705, ubi quod in omnibus exemplaribus fertur 'teque datis linquo *ventis*, palmosa Selinus' corrigendum *velis*: expulsum hoc adposito a commentatore dativo,

qui IIII 546 et VIII 708 ab ipso poeta additus est. Ad prolegg. p. 363: Corruptos omnes codices nostros habeo etiam ge. III 481 et 557. Nam *tabum* cum ceteris omnibus locis (Aen. III 29. 626 VIII 197. 487 IX 472) saniem vulneris significet, hic morbus intellegendus, qui *tabes* dicitur (cf. Aen. VI 442). Ergo 'infecit pabula *tabe*' et 'turpi dilapsa cadavera *tabe*', non *tabo* scribendum. Longis intervallis, quibus cum ipse variis distentus negotiis singula huius libri capita contexui tum inter arma huius aestatis plagulas Lipsia recepi, excusandum erit quod de eodem loco Aen. IX 512 sq. bis p. 280 et 366 ex parte eadem fero disputavi. Ad prolegg. p. 370 sqq: Iterum inspectis meo rogatu ab Hageno codicibus *bc* criticam adnotationem augere licet lectionibus 1) *codicis c* ad II v. 1 si 4 laxant enclaustra 8 prehenso 9 ereu'ssa 10 Erepta fato sotios in monte repertos; 2) *codicis b* ad IIII (prolegg. p. 372) v. 1 Ad (d *corr. in* t *m.* 2) 4 uenatur *m. 1* uenatū /// *m. 2* 5 Factis *m. 1* Facti /// *m. 2* 7 dihdo- pr(a)ecibus conati 9 uerbat *sive* uerbas *m. 1* uerba /// *m. 2*; VII (p. 374) v. 1 profectus, s *in ras.* 2 nouit, *suprascr.* ·i· cognouit uescitur 5 mitti (tit) t lactic(tum)um forte, tit *m. 2*, tum *m. 1 suprascr.* 7 furia] uria *in ras.* distrahit irat, *corr.* iras. 8 raepugnant 9 Bella, a *corr. in* i uulnera, a *corr. in* e 10 parant *suprascr. m. 1.*

Ceterum in *textu Vergilii* quae nunc mutari velim propediem in editione minore indicandi locus erit. Typotheta Lipsiensis commisit quod ecl. V 66 'tuas' legitur pro *duas* et Aen. I 685 'de' pro *te*, quod ge. IIII 133 editum est 'menses' pro *mensas*, Aen. V 45 'Dardaniae' pro *Dardanidae*, VII 420 'uiueni' pro *iuveni*, VIII 125 'loco' pro *luco*, 227 quod post 'pendebat' desideratur comma, et si quae sunt huius generis alia. In *critico commentario* vel addenda vel corrigenda haec repperi. Ecl. I 3 *finif* (non FINIS) *b*. Ceterum de libris *bc* ubicumque non expressis verbis testatus sum, congruere cum textu meo putandi sunt. 45 *tauris* Peerlkampus Mnemos. X 8 ad ecl. I 53 cf. L. Mueller de re m. 306. III 29 *ego hanc* (*vitulam ne f. r.* e. q. s. alii teste

Servio distinguebant. III 38 *facili* probavit Nackius in Catone p. 283. IIII 52 *laetantur* post Wagnerum commendavit Em. Hoffmannus in ephem. gymn. Austr. 1865 p. 486.
V 63 *carmine* Peerlkampus l. l. 19. VI 16 *serta gravi tantum* et 17 *et procul attrita* idem p. 20. 24 *vieri* idem p. 21. 369. In eclogae VI versu 57 non tacebo quod litteris amicissimis Theodorus Heysius docuit Mediceum librum nunc ultimae vocis *nostris* sola NOS elementa exhibere, cum cetera evanuerint. Nec tamen minus certum illud quod cum ceteris codicibus omnibus Servius quoque legit, nec probabilis suspicio Ferruccii bibliothecae Laurentianae praefecti, quem Heysius narrat in *nostris* offendere et *vestris* potius expectare, Vergilio autem *nostis* restitui iubere. Quod et durum est et otiosum. Claudere saltus nymphas iubet Pasiphae, ut bovem intra silvae fines inclusum ipsa investigando venetur: ergo *nostris* optime se habet. VI 83 del. 'item MP cum Isidori libris ecl. VIII 13.' VII MELIBOEVS CORYDON THYRSIS *MPb.* VIII 22 NEMOS *Pb1.* 28 TIMIDI *Γγa2.*
74 cf. Dietschii theol. Verg. 2 adn. 9. IX 51 quod dubitanter proposui *fers, aetas* probavit Peerlkampus l. l. 370.
Ge. I 16 *Lycei bc* Charisius: cf. Christius in nuntiis litt. Gotting. 1859 p. 228. 365 *inpellente* Parrhas., prob. Bosslerus Philol. XXI 158 coll. Arato et Seneca n. q. I 14.
383 *quaeque* Wagnerus lectt. Verg. 387. *montibus* Isidori codd. II 61 cf. Nackius Caton. p. 317. 204 *imitamur* Servii Lips. Regin. 225 cf. Nackius Caton. 321. 453 ALVEO *R* ut Aen. IX 152 idem. 520 ARBUSTA *R* (non *P*). III 60 LUCINA[u] *M* (non *R*). 237 Comma post *uti* del. Bosslerus Philol. XXI 159 sq. IIII 20 ATQ· *P* (non *F*). 44—75 (non 57) om. *c.* 125 *altis ac* (non *F*, in quo ne extat quidem hic versus). 259 FAMAE *M* (non *R*). 370 cf. Nackius Caton. p. 283. 544 *induxerit b* ex v. 552. Aen. I [2] *carmina* Donati Regin. *carmine* Bern. 69 *venti* Usenerus ann. philoll. 1865 p. 227. Ego ablativum interpretor *ventis* ut v. 66 *vento*, vimque incuti puppibus intellego. 109 cf. Wagnerus lectt. Verg. 387. 222 *fortemque G. f. Cloanthum* ex v. 612 interpolata coniecit Rauius de versibus spuriis in libro I. Aen. 268 Parenthesin Lessingius quoque XI, 1 p. 544 Iove et Venere in-

dignam habuit. 272 *hinc iam* ex II 148 inlatum. 296 *irritus* Rauius. 340 *regit* van Gent annott. critt. in Aen. 378 *qui* om. Moret. pr., probat Wagnerus lectt. Verg. 387. 389 spurium iudicat Rauius. 675 *mecum*] *pectus* van Gent.

II 56 STARES *PRγbc*. 81 *aures γ2bc*. 699 TOLLIT *FMVbc*. 741 *ve*] Q·*M*. IIII 25 ADIGAT *GMPRbc*. 43 *Barcaei* (non *Baccaei*) Hieronymus, Servius. 378 DICTA *M*. 418 INPOSVERE *M*. 478 del. G. Hermannus in actis soc. Lips. VIII (1847) p. 281. 596 NVN, add. m. 2 C *P*. 620 *mediaque*] *iaceatque* van Gent. 625 *rex* idem.

V 52 VRBE *MRγabc*. 167 cf. L. Mueller de re m. 329. 428 cf. idem p. 362. 684 *vires Teucrorum* Peerlkampus. *Troum vires* van Gent. VI 389 *stinc*] cf. L. Mueller de re m. 304. 548 post *subito* interpunctionem Servius quoque ad v. 545 indicat. 772 GERIT (VS sic) *M*. VII 4 cf. Hoffmannus ephem. gymn. Austr. IV 876. 179 sq. *Saturnusque senex, curvam sub tegmine falcem vitisator servans* van Gent. 217 MAXVMA *R*, quod in textum recipiendum. 406 POSTQUAM *MRVγb* (del. *c*). 440 EFFETA *F*.

464 (linea 7) volui *aquae ... amnis*. 740 *Bellae*] cf. inscr. Neap. 1946 p. 99 et Mommsenum p. 456. *Abellae* Vindob. Є teste Hoffmanno. 747 *Aequicola* formam defendit Garuccius bull. arch. Neap. 1859 n. 170: cf. Philol. XIX 331.

VIII 65 *celsis c. u. exit* coniungit Servius; cf. idem ad v. 74. Admodum notabilis viri docti in obss. misc. I 19 suspicio v. 131 sq. sic ordinandos esse:

sed mea me virtus, tua terris didita fama,
cognatique patres et sancta oracula divom.

228 *que* om. aliquot Pieriani, Goth. tert. 642 *Mettum*] cf. Bergkius annall. philoll. 1861 p. 329. 672 SPVMABAT *MPRγ*. 685 *auratisque* van Gent. 705 AEGYPTVS *M* (non *P*). IX 13 *atque orbata* van Gent, non male. 141 *modo nunc* Venetus (non ed. Veneta). 207 NIL (HI) *P* teste Hinckio. 209 Post *Iuppiter* dist. *P*. 397 *Haterianus*, non *Haterius* appellandus erat. 403 *et* copulam tuetur etiam Wagnerus Philol. XVI 540. 653 *Aenide*] cf. Ungerus progr. p. 56 laudato p. 4. X 190 *sonoram* van Gent.

486 DE PECTORE *R*. 884 AEREUS *MPm*. XI 319 *nemorumque asperrima* van Gent. 454 *flent matres* idem.

C
889 CAERA, AER (non AEC) in ras. *F.* XII 47 INSTITIT *Rγbcψ* (non *P*). 155 *terque utraque* van Gent. 248 AVIS *Pt.* 391 *Iapis* Ausonius legisse videtur: cf. epigr. XX 7. 458 *Osinim* Bergkius annall. philoll. 1861 p. 638 ind. lectt. Hall. 1864 aest. p. VII. 459 *Tarchetium* idem l. l.

485 *currus* (non *curus*). 648 cf. Wagnerus Philol. XVI 542. 695 *Γρ. cernere* schol. Veron. (mus. Rhen. XIX 640): cf. 709, sed vide annall. philoll. 1866 p. 72. 906 *viri*| *ruit.* van Gent. *Testimoniis* haec adscripsi: ecl. I 62 'Tigrim' Charisius 69. VIII 105 schol. Veron., non Probus. ge. III 66—68 Hieronymus ad Heliod. cf. Sauppius Philol. XXI 157. IIII 462 'altaque P.' schol. Veron. (non Probus). Aen. I 2 sq. Gellius X 16, 6 (non XI 6, 6). 38 'Italiam ... regem' Augustinus conf. I 17 (cf. mus. Rhen. XXI 155). III 109 sq. 'nondum ... imis' Priscianus 1183. 193 'caelum ... pontus' Quintilianus XII prooem. (del. ad V 9). 241 Festus p. 201 (non 261). 277 'ancora ... iacitur' Seneca epist. 53, 3. IIII 696 Gellius XIII (non VIII) 1, 5.

V 457 'extinctam ... secutam' Augustinus conf. I 16 (cf. mus. Rhen. XXI 155). X 835 schol. Veron. ad ecl. VI 14—19 teste Buecheleró. XII 168 'magnae ... Romae' Servius ecl. VI 11. Versum Aen. II 148 in muro Pompeiano aliquis insculpsit: cf. Garrucci Graffiti ed. 2 pl. VI 5 et Gerhardi ind. archaeol. anni 1866 p. 238*. Leguntur hodie

QVISQVIS ES AMISSOS IIIN ......
LIVISCERE GRAIOS
SCRIBIT NARCISS·

Ergo *hinc ium* recto ordine posuerat ut *Mγbc.* Item in muro Pompeiano haec inventa sunt (cf. ind. arch. l. l.)

MYSTIIS COMMVNI SVO· SALVTII VIDISTI QVO TVRNVM AIIQVORIBVS IIIBAT IN ARM(is) VIRTVTIS MIIRCIIS. PALMAM PRIITIVM GLORIAII · VICTORIAII SPIIM CAVSAI.

In quibus corruptus inest Aen. IX 269 'vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis'. De confusis M et S litteris vide p. 249; deinde voluit isto AEQVO pro 'equo'; singularis R pro Q scripta; *eibat* forma eis exemplis addenda quae p. 418 composui. Ipsum Aeneidis initium ARMA

Digitized by Google

VIRVMQVE CANO TRO ex simili loco descriptum Zangemeisterus tradidit bulletino dell' instituto a. 1865 p. 189 (cf. ind. arch. l. l.) Praeterea ne quis eis copiis careret, quae post annum 1862, quo editionis meae volumen III prodiit, publici iuris factae sunt, ex auditoribus meis iuvenis accuratissimus *Chr. Luetjohann*, cuius industria indices quoque tam locorum quam nominum rerumque in prolegg. tractatorum confecti sunt, quidquid ad testimonia variasque lectiones vel supplenda vel corrigenda conferre videretur, excerpsit ex his maxime libris: grammaticorum Latinorum volumine quarto edito ab H. Keilio a. 1864, rhetoribus Latinis minoribus emendatis a Carolo Halmio a. 1863, Acronis et Porphyrionis commentariis Horatianis editis a Ferdinando Hauthal annis 1864 et 1866. Unde messis haec exorta est:

In testimoniis inserenda vel corrigenda:

Ecl. I, 1 'patulae s. t. f.' Porphyrion ad Hor. serm. II, 4, 34. 7 'namque — deus.' Acron ad Hor. serm. II, 6, 52. 9 'illo — cernis.' Porphyrion ad Hor. epod. 9, 22. 23 'sic — solebam.' Acron ad Hor. art. poet. 35. 29 'longo — venit.' Acron ad Hor. serm. I, 6, 61. 41 Acron ad Hor. serm. II, 6, 52. 'deos praesentes' Porphyrion ad Hor. serm. II, 2, 40. 44 Acron ad Hor. carm. saec. 55. 46 'fortunate senex.' Acron in Hor. art. poet. 295. 69 'mea r. v.' Acron ad Hor. serm. II, 6, 16. 80 'sunt — lactis.' Donati ars p. 397, 28 K.

Ecl. II, 1 Acron ad Hor. epod. 14, 9. 'formosum p.' [Sergii] expl. in Donat. p. 487, 21 K. 6 'o. c. A.' [Sergii] expl. in Donat. p. 520, 3 K. 8 Acron ad Hor. carm. III, 29, 21. 9 (non 8) schol. carm. Hor I, 23, 7. 11 Acron ad Hor. carm. I, 17, 7. epod. 10, 2. Porphyrion ad Hor. carm. I, 17, 7. [Probi] de ult. syll. p. 260, 13 K.

14 'nonne f. s.' [Probi] de ult. syll. p. 250, 13 K. 21 Acron ad Hor. carm. II, 16, 33. 24 [Sergii] expl. in Donat. p. 528, 12 K. 29 'atque — casas.' Acron ad Hor. carm. III, 1, 22. 56 'munera — curat' Acron ad Hor. carm. III, 10, 13. 66 Acron ad Hor. epod. II, 63. Ecl. III, 7 Acron ad Hor. carm. I, 25, 1. 9 'sed — sacello.' Porphyrion ad Hor. carm. II, 8, 13. 25 'cantando tu i.' Servius in Donat. p. 412, 24 K. 53 sq. 'tantum — reponas' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 603, 14 H. 65 Acron ad Hor. carm. II, 12, 25. 65 Porphyrion ad Hor. carm. III, 18, 1. 71 'aurea misi.' Acron ad Hor. carm. I, 14, 5. 79 'longum — Iola.' Iulius Rufinianus p. 50, 13 H. 84 'quamvis — musam.' Acron in Hor. art. poet. 355. 86 'Polio — carmina' Acron ad Hor. carm. IV, 2, 10. epod. 16, 6. 90 'amet — Maevi.' Porphyrion ad Hor. serm. II, 3, 239.

93 'fugite.' cf. Probi inst. p. 182, 28 K. 108 Acron ad Hor. carm. III, 27, 33. Ecl. IIII, 1 'Sicelides M.' [Sergii] expl. in Donat. p. 487,

20 K. 7 excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 598, 12 H. 21 'ipsae — ubera.' Acron ad Hor. epod. II, 62. 38 sq. 'nec — merces.' Acron ad Hor. serm. I, 4, 29. 60 Acron ad Hor. art. poet. 158. Ecl. V, 2 [Probi] de ult. syll. p. 241, 35 K. 2 'calamos i. l.' Acron ad Hor. carm. III, 19, 19. 8 'solus t. c. A.' Acron ad Hor. serm. II, 5, 19. 16 Acron ad Hor. serm. I, 9, 64. 39 'carduus' [Probi] de ult. syll. p. 227, 3 K. 44 Acron ad Hor. carm. I, 16, 1. 45 'tale — carmen.' [Probi] de ult. syll. p. 233, 32 K. 51 'Daphnimque — astra.' Acron ad Hor. carm. I, 15, 32. 56 Acron ad Hor. epod. 14, 5. 65 'sis — tuis.' Acron ad Hor. carm. IV, 2, 38. Ecl. VI, 3 'cum — proelia.' Acron ad Hor. serm. I, 10, 31. 40 Acron ad Hor. carm. I, 17, 6. 62 'musco — corticis.' Acron ad Hor. serm. I, 10, 36. 'amarae corticis.' Donati ars p. 393, 31 K. Servius in Donat. p. 446, 36 K. 68 Acron ad Hor. carm. III, 7, 23. 76 'Dulichias v. rates.' Acron ad Hor. epod. 6, 1; Donati ars p. 395, 16 K. Ecl. VII, 2 'compulerantque greges.' Acron ad Hor. carm. I, 24, 18. 27 sq. 'baccare — futuro.' Acron ad Hor. carm. III, 30, 16. 47 'solstitium p. d.' Acron et Porphyrion ad Hor. carm. I, 17, 3. 55 'omnia n. rideut.' Acron ad Hor. carm. II, 6, 14. 60 Acron ad Hor. carm. I, 22, 19. Ecl. VIII, 11 'a te — desinet.' Acron ad Hor. epist. I, 1, 1. 41 'ut v. ut p.' Acron ad Hor. carm. I, 8, 1. 44 Acron ad Hor. carm. I, 1, 1. 48 sq. 'crudeles — illo.' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 601, 8 H. 55 'certent — ululae.' Acron ad Hor serm. II, 5, 19. 56 Acron ad Hor. carm. III, 3, 19. 71 Acron ad Hor. carm. II, 13, 36. [Sergii] expl. in Donat. p. 504, 41 K. 95 Acron ad Hor. carm. I, 27, 22. 95 sq. Acron ad Hor. epod. 5, 21. 96 'nascuntur p. P.' Porphyrion ad Hor. epod. 5, 21. 97 sq. 'his — Moerim.' Porphyrion ad Hor. epist. II, 2, 209. Ecl. IX, 9 Porphyrion ad Hor. epist. II, 2, 170. 25 'cornu — caveto.' Acron ad Hor. epod. 6, 12. 36 'argutos — olores.' Acron ad Hor. carm. III, 14, 21. 39 'huc — Galatea.' [Probi] de ult. syll. p. 236, 24 K. [Sergii] expl. in Donat. p. 558, 16 K. 45 'numeros — tenerem' Acron ad Hor. carm. IV, 2, 11. ad art. poet. 74. 46 'Daphni — suspicis.' [Probi] de ult. syll. p. 229, 28 K. 50 'insere D. p.' Acron ad Hor. epod. II, 19. 51 'omnia — quoque.' Porphyrion ad Hor. epist. II, 2, 55. Ecl. X, 2 'Lycoris.' cf. Porphyrion ad Hor. epod. 3, 8. 16 'nostri — illas.' Acron ad Hor. carm. III, 11, 15. 'nec p. i.' [Sergii] expl. in Donat. p. 556, 22 K. 22 'Lycoris' cf. Porphyrion ad Hor. epod. 3, 8. 49 [Sergii] expl. in Donat. p. 520, 1 K. 50 sq. [Sergii] expl. in Donat. p. 552, 22 K. 66 Acron ad Hor. carm. III, 26, 10. Geo. I, 6 [Probi] de ult. syll. p. 236, 33 K. 10 'praesentia n. f.' Acron ad Hor. serm. II, 2, 41. 14 'cui p. Ceae.' Acron ad Hor. carm. II, 1, 37. 43 'vere — liquitur.' Acron ad Hor. carm. I, 12, 29; IV, 7, 1. 44 'et — resolvit.' Porphyrion ad Hor. carm. I, 4, 10. 55 sq. 'arborei — gramina.' Acron ad Hor. carm. I, 4, 10. 56 'croceos Tmolus od.' Porphyrion ad Hor. serm. II, 4, 68. 57 Acron ad Hor. carm. I, 31, 6. 62 Acron ad Hor. carm. I, 2, 9.

Ge. I, 96 'flava C.' Acron ad Hor. carm. II, 13, 21. 99 Acron ad Hor. epod. II, 3. 127 sq. 'ipsaque — ferebat.' Acron ad Hor. epod. 16, 43.
185 sq. 'populatque — curculio.' Porphyrion ad Hor. art. poet. 47.
186 'atque — senectae.' Acron ad Hor. serm. I, 1, 35. 187 sq. 'contemplator — induet.' [Sergii] expl. in Donat. p. 539, 19 K. 205 'haedorum — servandi.' Acron ad Hor. carm. III, 7, 6. 227 'viciam — phaselum.' Acron ad Hor. carm. I, 20, 1. 236 Acron ad Hor. carm. I, 22, 20. 256 Acron ad Hor. carm. I, 23, 12. 281—283 Porphyrion ad Hor. carm. III, 4, 51. 302 Acron ad Hor. carm. III, 17, 16. 18, 15. 308 'auritosque s. lep.' schemata dianoeas p. 76, 9 H. 313 'ruit i. v.' Acron ad Hor. carm. IV, 4, 7. 341 'et — vina.' Porphyrion ad Hor. carm. I, 4, 11. 342 'tum — dulces.' Porphyrion ad Hor. carm. I, 4, 11. 378 Porphyrion ad Hor. epod. II, 26. 388 Acron et Porphyrion ad Hor. carm III, 17, 12; III, 27, 10. 397 Servius in Donat. p. 425, 19 K. 405 Porphyrion ad Hor. carm. IV, 1, 14.
418 'Iuppiter u. a.' Acron ad Hor. epod. II, 29. 442 'conditus in nubem'. [Sergii] expl. in Donat. p. 518, 19 K. 457 [Probi] de ult. syll. p. 240, 3. 466 Acron ad Hor. carm. I, 2, 1. 478 sq. 'pecudesque l. infandum.' [Sergii] expl. in Donat. p. 562, 24 K. 482 'fluviorum r. E.' Servius in Donat. p. 425, 17 K. 499 Acron ad Hor. carm. III, 7, 28. Ge. II, 5 sq. 'tibi — ager.' Acron ad Hor. epist. I, 5, 7.
36 'fructus — colendo.' Porphyrion ad Hor. serm. II, 2, 66. 44 'ades — oram.' [Sergii] expl. in Donat. p. 554, 8 K. 63 sq. 'melius — respondent.' [Probi] de ult. syll. p. 260, 30 K. 90 Acron ad Hor. carm. I, 17, 21. 92 'pinguibus — habiles.' Acron ad Hor. carm. II. 12, 22. 95 'purpureae p.' Acron ad Hor. epod. II, 20. 96 'nec — Falernis.' Acron ad Hor. carm. I, 20, 10. 105 sq. Acron ad Hor. carm. I, 28, 1. 140 sq. Acron ad Hor. epod. 16, 59. 146 'et maxima t. v.' Acron ad Hor. carm. IV, 2, 53. 146 sq. 'hinc — victima.' Acron ad Hor. carm. saec. 49. 150 Acron ad Hor. carm. I, 22, 3. 151 sq. 'at — semina.' Acron ad Hor. carm. I, 22, 15. 153 sq. Acron ad Hor. epod. 16, 52. 161—163. Acron ad Hor. art. poet. 65. 167—169 'haec — extulit.' Acron ad Hor. carm. I, 22, 13. 169 cf. Servius in Donat. p. 407, 5 K. 'rite enim dixit Virgilius Marios et Camillos.' 'Decios — Camillos.' [Sergii] expl. in Donat. p. 490, 18 K. 170 'Scipiadas d. b.' [Sergii] expl. in Donat. p. 540, 3 K. 172 Acron ad Hor. carm. saec. 56. 192 Acron ad Hor. carm. I, 31, 2.
201 sq. 'quantum — reponet.' Acron ad Hor. carm. IV, 6, 39.
276 'collisque supinos.' Acron ad Hor. carm. III, 4, 23. 299 'neve flagella.' Sergii de syll. p. 478, 29 K. 319 sq. Acron ad Hor. carm. I, 18, 1. 339 'et — euri.' Acron ad Hor. carm. I, 12, 30. 353 'illudit — arva.' Acron ad Hor. carm. I, 17, 18; III, 29, 18. 380 sq. 'non aliam — caeditur.' Acron ad Hor. carm. III, 8, 7. 404 'silvis — honorem.' Acron ad Hor. epod. 11, 6. 451 sq. 'innatat — Pado.' Acron ad Hor. carm. I, 35, 7; [Sergii] expl. in Donat. p. 517, 10 K. 451 'lovis — Pado.' Porphyrion ad Hor. carm. I, 16, 9; III, 19, 8. 458 sq. 'o — agricolas.' Acron ad Hor. epod. II, 1.

Digitized by Google

Ge. II, 461 sq. Porphyrion ad Hor. carm. II, 18, 9. 463 Acron ad Hor. carm. III, 1, 45. 468 'dives o. v.' Acron ad Hor. epod. 16, 42. 483 [Probi] de ult. syll. p. 252, 3 K. 488 sq. 'o qui — sistat.' Acron ad Hor. carm. I, 37, 19. 502 Acron ad Hor. epod. II, 7. 508 sqq. 'hunc — corripuit.' Acron ad Hor. epist. I, 6, 7. 520 'dant a. s.' Acron ad Hor. carm. I, 17, 5. 523 Acron ad Hor. carm. III, 23, 7.

Ge. III, 6 Acron et Porphyrion ad Hor. carm. I, 21, 1. 6 'cui — Hylas.' Porphyrion ad Hor. epist. 1, 19, 8. 8 'qua — humo.' Acron ad Hor. carm. III, 2, 24. 34 'Parii — signa.' Acron ad Hor. carm. I, 19, 6. 42 [Probi] de ult. syll. p. 247, 24 K. del 'en age s.' Probi inst. I, 9, 6. 53 'crurum tenus.' Donati ars p. 391, 15 K. 81 sq. 'luxuriat — spadices.' Acron ad Hor. carm. III, 4, 20. 89 sq. 'talis — Cyllarus.' Acron ad Hor. carm. I, 12, 25. 89 Iulius Rufinianus p. 44, 26 H. [Probi] de ult. syll. p. 227, 17 K. 96 'nec — senectae.' Acron ad Hor. carm. 1, 31, 19. 125 Acron ad Hor. carm. I, 17, 7. 135 sq. 'hoc — arvo.' Acron ad Hor. epod. 12, 15. 208 'et — lupatis.' Porphyrion ad Hor. carm. I, 8, 6. 210 'caeci — amoris.' Acron ad Hor. carm. I, 18, 14. 212 sq. 'in — pascua.' [Sergii] expl. in Donat. p. 552, 29 K. 215 sq. 'carpit — femina.' Acron ad Hor. carm. I, 19, 7. 245 'leaena' cf. Probi inst. p. 82, 27 K. 266 Porphyrion ad Hor. carm. I, 25, 14. 279 'et — caelum.' Acron ad Hor. carm. I, 3, 14. 284 Acron ad Hor. carm. II, 14, 1· ad serm. II, 6, 40. 325 'mane novum.' Servius in Donat. p. 428, 22 K. 328 Porphyrion ad Hor. epod. II, 26. 360 Acron ad Hor. carm. II, 9, 5. 369 sq. 'conferto — nova.' Acron ad Hor. carm. II, 9, 5. 373 'frustra — montem.' Acron ad Hor. epod. II, 31. 381 'septem s. trioni.' [Sergii] expl. in Donat. p. 565 K. adn. 389 sq. 'reice — nascentum.' Porphyrion ad Hor. serm. I, 8, 27. 402 'sub — calathus.' Acron ad Hor. serm. II, 7, 33. 430 sq. 'piscibus — ingluviem.' Acron ad Hor. epist. I, 10, 40. 434 Acron ad Hor. carm. III, 10, 17. 474 sq. 'et — castella.' Acron ad Hor. carm. 1, 16, 9.

492 [Sergii] expl. in Donat. p. 542, 21 K. 525 'quid — iuvant.' Acron ad Hor. carm. I, 28, 4. 526 sq. 'atqui — munera.' Acron ad Hor. carm. I, 1, 19. 530 'nec — salubres' Acron ad Hor. epod. II, 5. 538 'nec — obambulat.' Acron ad Hor. carm. III, 16, 4. 548 Servius de fin. 454, 33 K. Ge. IV, 2 'hanc — partem.' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 603, 12 H. 3 excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 597, 3 H. 10 sq. 'neque — insultent.' Acron ad Hor. carm. III, 3, 41. 38 'tenuia.' cf. Probi inst. p. 130, 29 K. 86 'hi m. a.' [Probi] de ult. syll. p. 261, 7 K. 106 'magnus labor.' Acron ad Hor. carm. IV, 6, 3. 112 sq. 'durus a. opservans.' Acron ad Hor. epod. III, 4. 133 'inemptis.' Porphyrion ad Hor. epod. II, 48. 270 'grave o. c.' Acron ad Hor. carm. I, 17, 7.

293 [Sergii] expl. in Donat. p. 510, 27 K; 517, 29 K. 346 'dulcia f.' Acron ad Hor. carm. I, 10, 7. 372 Porphyrion ad Hor. carm. IV, I, 14. 387 sqq. cfr. Acron ad Hor. epist. I, 1, 90. 407 'fiet — horridus.' Porphyrion ad Hor. serm. II, 3, 73. 408 'leaena.' cf. Probi

inst. p. 82, 27 K. Ge. IV, 472 'umbrae i. tenues.' Acron ad Hor. carm. I, 5, 1. 475 sq. Acron ad Hor. carm. I, 28, 19. 479 'tardaque — unda.' Acron ad Hor. carm. II, 14, 17. 483 'tenuit — ora.' Acron ad Hor. carm. III, 11, 16. 484 Acron ad Hor. carm. III, 11, 21. 514 'flet noctem.' Porphyrion ad Hor. serm. I, 8, 17. 551 'et — iuvencas.' Acron ad Hor. epod. 9, 22. 565 'Tityre — sub.' [Probi] de ult. syll. p. 237, 36 K.

Aen. I, 1 'arma — cano.' Clodiani ars rhet. p. 590, 16 H. Servius in Donat. p. 425, 16 K. Sergii de distinct. p. 485, 6 K. 'arma — Troiae' [Sergii] expl. in Donat. p. 535, 4 K. Martianus Capella p. 69, 6 E. 2 'Italiam f. p.' Donati ars p. 396, 14 K. Servius in Donat. p. 444, 19 K. 2 sq. 'Italiam — litora.' [Sergii] expl. in Donat. p. 511, 34 K. 3 'multum — alto.' Donati ars p. 396, 29 K. 4 'saevae — iram.' Acron ad Hor. carm. I, 19, 1. 6 'genus n. L.' Acron ad Hor. serm. I, 2, 78; I, 6, 12. 'inferretque d. L.' [Probi] de ult. syll. p. 253, 23 K. 7 Acron ad Hor. carm. saec. 54. 14 'dives o.' Acron ad Hor. serm. I, 1, 79. Porphyrion ad Hor. serm. II, 3, 142. 16 'hic i. a.' [Sergii] expl. in Donat. p. 559, 19 K. 24 [Sergii] expl. in Donat. p. 517, 21 K. 30 'relliquias' Servius in Donat. p. 444, 10 K. 'relliquias D.' Servius in Donat. p. 444, 18 K. 33 Iulius Victor ars rhet. p. 437, 36 H. 34 sq. 'vix — dabant.' Acron in Hor. art. poet. 146. 46 'ast — regina.' Acron ad Hor. carm. III, 3, 64. 'ast — incedo.' Servius in Donat. p. 426, 35 K. 60 'speluncis a. a.' Donati ars p. 400, 4 K. 65 sq. 'Aeole — fluctus.' [Sergii] expl. in Donat. p. 535, 7. 66 Acron ad Hor. carm. I, 3, 16. 72 Acron ad Hor. carm. I, 16, 1. 77 'iussa cap.' Acron ad Hor. epist. I, 9, 12. 79 'tu — divum.' Acron ad Hor. carm. I, 27, 8. 84 'incubuere mari' cf. Acron ad Hor. carm. III, 3, 6. 85 sq. 'creberque p. Africus.' Acron ad Hor. carm. I, 14, 5. 86 'et — fluctus.' Acron ad Hor. carm. III, 3, 6. 90 Acron ad Hor. carm. I, 34, 6. 94 'o — beati.' Acron ad Hor. carm. I, 13, 17. [Sergii] expl. in Donat. p. 510, 9 K; 520, 3 K. 96 'o — Tydide.' [Sergii] expl. in Donat. p. 492, 28 K. 99 'saevus Hector.' Acron ad Hor. carm. I, 37, 29. 104 'proram avertit.' Porphyrion ad Hor. serm. I, 3, 35. 112 'inliditque v.' Acron ad Hor. carm. I, 3, 24. 115 'in p. f.' Martianus Capella p. 474, 10 H. 126 'stagna — commotus.' [Sergii] de ult. syll. p. 261, 6 K. 133 sq. 'iam — miscere.' Acron ad Hor. epod. 13, 1. 137 'maturate f.' Acron ad Hor. carm. II, 11, 22. 143 'collectasque f. n.' Acron ad Hor. carm. I, 12, 30. 148 'ac — populo.' Porphyrion ad Hor. epist. I, 15, 14. 172 de idiom. cas. p. 571, 3 K. 183 'aut — celsis.' [Probi] de ult. syll. p. 227, 7 K. 194 'et — omnis.' Probi cath. p. 36, 27 K. 195 Acron ad Hor. carm. II, 7, 20; III, 14, 18. 198 [Probi] de ult. syll. p. 231, 23 K. 199 Porphyrion ad Hor. carm. I, 7, 30. 'o passi — deus.' Acron ad Hor. carm. I, 7, 30. 209 'spem v. s.' Acron ad Hor. carm. I, 37, 25. 212 'pars — secant.' Porphyrion ad Hor. carm. IV, 2, 50; epod. 16. 35. Servius in Donat p. 446, 37 K. 228 'oculos s. n.'

Acron ad Hor. carm. I, 1, 21. 241 'quem — laborum.' [Sergii] expl. in Donat. p. 539, 3 K. 242 'Antenor — sinus.' Donati ars p. 402, 30 K. 244 'regna L.' Acron ad Hor. carm. I, 37, 29. 257 Isidorus p. 519, 26 H. 261 [Sergii] expl. in Donat. p. 559, 16 K. 261 'quando — remordet.' Acron ad Hor. carm. I, 18, 4; III, 14, 13. 262 de ult. syll. p. 260, 34 K. 263 sq. Acron ad Hor. carm. saec. 40. 279 'imperium — dedi.' Acron ad Hor. carm. III, 3, 46. 287 sq. 'imperium — Iulius.' Acron ad Hor. carm. IV, 15, 15. 289 sq. 'hunc — accipies.' Acron ad Hor. carm. II, 10, 17. 293 sq. 'dirae — portae.' Porphyrion ad Hor. epist. II, 1, 255. 295 'saeva s. s. a.' [Sergii] expl. in Donat. 518, 20 K. 297 'et — alto.' Acron ad Hor. carm. I, 2, 43. 345 'cui — dederat.' Acron ad Hor. serm. I, 2, 28. 349 sq. Iulius Rufinianus p. 52, 21 H. 350 'securus a. g.' [Sergii] expl. in Donat. p. 556, 12 K. 352 'vana — amantem' de idiom. cas. p. 571, 18 K. 370 sq. 'ille — vocem.' Acron ad Hor. epod. 11, 10.

378 'sum p. A.' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 605, 11 H. 399 'puppes — tuorum.' Donati ars p. 400, 26 K. 404 sq. 'podes — dea.' Acron ad Hor. carm. I, 18, 11. 409 'ac veras — voces.' Acron ad Hor. art. poet. 158. 418 'corripuere v. i.' Acron ad Hor. carm. I, 3, 33. 430 'florea rura.' Martianus Capella p. 473, 11 H. (168, 7 E.) 482 Acron ad Hor. carm. II, 4, 19. 520 Martianus Capella p. 13, 1 E. 527 'non — populare.' Emporius p. 563, 18 H. 530 [Sergii] expl. in Donat. p. 535, 13 K. 535 Acron ad Hor. carm. I, 28, 21. 535 'nimbosus O.' Acron ad Hor. epod. 10, 10.

543 Acron ad Hor. carm. I, 31, 18. 565 'quis tanti inc. b.' omissis quae interposita sunt Victorinus in rhet. Cic. p. 158, 27 H. 580 'et p. A.' Acron ad Hor. carm. IV, 4, 27. 589 'os — similis.' Victorinus in rhet. Cic. p. 228, 12; 239, 5 H. 590 sq. 'lumenque — purpureum.' Porphyrion ad Hor. carm. III, 3, 12. 593 Acron ad Hor. carm. I, 19, 6. 606 'qui — parentes.' Acron ad Hor. carm. I, 10, 1. 614 'sic o. l. e.' Donati ars p. 395, 4 K. [Sergii] expl. in Donat p. 564 K. adn. 620 Acron ad Hor. carm. IV, 2, 10. 636 Acron ad Hor. carm. I, 18, 6. 655 'duplicem — coronam.' Acron ad Hor. carm. I, 17, 27. 662 'sub — recursat.' Acron ad Hor. serm. I, 1, 9. Porphyrion ad Hor. serm. I, 1, 10. 665 Acron et Porphyrion ad Hor. epod. 17, 56. 697 'aulaeis — superbis.' Acron ad Hor. carm. III, 29, 16. 700 'stratoque — ostro.' Acron ad Hor. carm. I, 27, 8. 704 'ponum st.' Acron ad Hor. epist. I, 16, 72. 720 'matris A.' Acron ad Hor. carm. I, 19, 1. 726 sq. 'dependent — incensi.' Acron ad Hor. carm. II, 16, 11. 727 'et — vincunt.' Acron ad Hor. carm. I, 27, 5.

734 'adsit — dator.' Acron ad Hor. carm. I, 7, 19. 742 'errantem l.' Porphyrion ad Hor. serm. I, 8, 21. 744 'arcturum p. h.' Acron ad Hor. carm. III, 1, 27. 750 'multa — rogitans.' Acron ad Hor. carm. I, 9, 5. Donati ars min. p. 366, 4 K. 750 Acron ad Hor. carm. IV, 2, 42. 755 sq. 'nam te — aestas.' Acron ad Hor. carm. I, 15, 35. Aen. II, 9 'suadent — somnos.' Acron ad Hor. epod. 10, 10. 'praecipitat nox.' Porphyrion ad Hor. serm. I, 3, 35. 16 'abiete c.'

Servius in Donat. p. 425, 18 K. 19 sq. 'ponitus — complent.' Donati ars p. 395, 14 K. 22 'dives opum.' Acron ad Hor. serm. I, 1, 79. Porphyrion ad Hor. serm. II, 3, 142. 26 'et longo — luctu.' Acron ad Hor. carm. IV, 6, 12. 27 sq. 'iuvat — locos.' Acron ad Hor. carm. I, 2, 38. 27 'panduntur p.' Acron ad Hor. art. poet. 199. 29 schemata dianoeas p. 71, 5 H. 36 sq. 'pelago — flammis.' Acron ad Hor. carm. I, 16, 3. 48 sq. 'ne — est.' Probi inst. p. 145, 19 et 24 K. 52 'uteroque rec.' Acron ad Hor. art. poet. 151. 55 'impulerit ferro.' Iulius Rufinianus p. 54, 23 H. 68 [Sergii] expl. in Donat. p. 523, 10 K. 69 'heu — inquit.' [Probi] de ult. syll. p. 256, 2 K.

74 'quo s. cretus' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 602, 9 H. 77 'cuncta equidem tibi rex fatebor quaecumque' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 602, 4 H. 78 'neque — negabo.' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 602, 6 H.

79 'hoc primum' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 602, 7 H. 96 'promisi ultorem.' Acron ad Hor. serm. II, 3, 9. 103 'iamdudum — Atridae' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 602, 1 H. 104 Acron ad Hor. serm. II, 3, 195. 126 sq. 'tectus — sua.' Acron ad Hor. carm. I, 9, 21. 143 sq. 'oro — ferentis.' excerpta ex Grillii comm. in Cic. lib. I de inv. p. 606, 5 H. 148 'obliviscere G.' de idiom. cas. p. 569, 8 K. 160 sq. 'servata — fidem.' Acron ad Hor. carm. III, 7, 24. 170 'aversa d. m.' Acron ad Hor. carm. II, 4, 19. 197 'Larissaeus A.' Acron ad Hor. carm. I, 7, 11

207 sq. 'pars — legit.' [Sergii] expl. in Donat. p. 561, 17 K. 234 'dividimus muros.' Acron ad Hor. carm. III, 16, 13. 241 [Probi] de ult. syll. p. 231, 15 K. 216 sq. 'tunc — ora.' [Sergii] expl. in Donat. p. 528, 21 K. 261 'Thessandrus St. d.' Acron ad Hor. carm. IV, 9, 19. 268 sq. 'tempus — incipit.' [Sergii] expl. in Donat. p. 535, 11 K. 274 sq. 'ei — Hectore.' Probi inst. p. 146, 13 K. (om. 'qualis erat.') 281 Acron ad Hor. carm. IV, 5, 5. 306 schemata dianoeas p. 76, 17 H. 333 'stat — corusco.' [Sergii] expl. in Donat. p. 538, 18 K; 564 K. adn. 355 sq. 'inde — nebula.' Iulius Victor ars rhet. p. 437, 9 H. 356 sq. 'quos — rabies.' Acron ad Hor. epist. I, 10, 40. 402 'nihil — divis.' Prisciani praeexerc. p. 553, 37 H. 413 'atque — ira.' Martianus Capella p. 475, 26 H. (171, 16 E.) 430 'labentem p.' [Probi] le ult. syll. p. 225, 13 K. 442 sq. 'postesque — gradibus.' Donati ars min. p. 365, 32 K. 502 Porphyrion ad Hor. carm. II, 7, 12. 546 Porphyrion ad Hor. epist. I, 3, 32. 549 [Sergii] expl. in Donat. p. 554, 12 K. 551 sq. 'haec — tulit.' Acron ad Hor. art. poet. 35. 554 'haec f. P.' [Sergii] expl. in Donat. p. 539, 4 K.

593 'roscoque — ore.' Acron ad Hor. carm. III, 3, 12. 615 sq. 'Tritonia — insedit.' Acron ad Hor. carm. III, 3, 23. 632 sq. flammam — recedunt.' Acron ad Hor. carm. saec. 43. 664 'hoc — parens.' Servius in Donat. p. 424, 35 K. 683 'fundere l. a.' Probus de nomine p. 215, 15 K. 710 'una — erit.' Acron ad Hor. carm. III, 9, 24. 719 sq. 'donec — abluero.' Acron ad Hor. epod. I, 32. 774 'steterunt — haesit.' Servius ad Donat. p. 444, 25 K. 781 'terram H. v.'

[Probi] de ult. syll. p. 262, 4 K. 785—787 [Sergii] expl. in Donat. p. 537, 20 K. Aen. III, 2 'eeciditque s. I.' Acron ad Hor. carm. IV, 9, 18. 2 sq. cecidit — Troia.' [Sergii] expl. in Donat. p. 564, 4 K.

Cum autem Pollionis potissimum filium futurum esse expresso verbo nullo prodiderit poeta, quidni ecclesiae scriptores ad opinionem delabi potuerint Christi natales illo consule futuros secundum Cumaeae sibyllae oracula in ecloga illa praedictos esse? Et unde quidem sua de magni anni ortu et de redeuntibus Saturni regnis vaticinia hauserit poeta eruditissimus, quaerere hic non attinet (cf. Alexandre orac. Sibyll. t. II p. 107 sqq. 180. 278 sqq.). At confidenter nego Lactantium Eusebium Augustinum melioribus Vergilii codicibus usos fuisse quam vel Asconius et Suetonius usi sunt vel nos etiamnunc utimur. Ergo illi quoque Pollionis nomen v. 12 legisse credendi erunt.

At numerorum, inquit, diligenter inter se comparatorum tanta in utroque eclogarum genere differentia est, ut non possint IV. VI. X eisdem annis scriptae esse quibus ceterae. At enim primum in 226 versibus (tot enim sunt trium eclogarum) consentaneum est multas numerorum formas aut non aut rarius inveniri, quae in triplici fere multitudine (nam 603 versus continent ceterae) reperiuntur. Praeterea si quae elegantius in illis videntur modulata esse, nos quoque inter ultimas posuimus. Alia, velut quod in his monosyllabon cum anapaestico vel spondaico vocabulo versus initio non reperitur (cf. Schaperus p. 777 sq.), quod spondiaci exitus 'Iovis incrementum' (IV 49) nullum in ceteris exemplum est (p. 782), quod duplex synaloephe bis tantum in illis, vicies semel in his usurpatur (p. 784), cum tamen ne in

georgicis quidem aut Aeneide vitetur, casui tribuo, cuius vim ne ipse quidem Schaperus detrectare audet (p. 787); alia exquisitiora ne fastidium moverent vel semel vel parce in utroque genere audenda erant, alia ut rariorem bucolicae quae dicitur caesurae usum (p. 780) stili (cf. p. 788 et Gebauer p. 76), alia ut interiectionum in antiquioribus maiorem copiam (p. 787), rerum differentia quadam, quae non fugit virum doctum, explicanda sunt. Nam quartam et sextam certè verum est recedere aliquantum a Theocritei generis imitatione. Hinc igitur cum rerum et sermonis tum totius artis discrimina, qualia cum Gebauero Schaperus p. 789 sqq. animadvertit, repetenda, quae quis umquam demonstrabit non posse nisi annorum aliquot intervallo posito sat probabiliter explicari?

Caput II.

De georgicon temporibus.

Non bucolicorum tantum terminos definivisse videtur Asconius: ad eundem auctorem recte referemus georgicon et Aeneidis tempora, quae apud Donatum p. 60, 5 R. et in vita quae Servianis in Aeneida commentariis praemissa est p. 1 L. legimus. Et ille brevius '*bucolica triennio, georgica VII, Aeneida XI perfecit annis*', hic paulo quidem plenius '*item proposuit Maecenas georgica, quae scripsit emendavitque septem annis*', ubi tamen *quadriennio* pro septem annis Guelferbytanum I Lion, *VI uel VII annis* Bernensem n. 363 exhibere per litteras G. Thilo testatur.

At Phocas nec septem nec quattuor, sed *novem* annos georgicis tribuit v. 96: 'post haec ruris praecepta colendi Quattuor exposuit libris et commoda terrae Edocuit *geminis anno minus omnia lustris*.' Et totidem relinquuntur inter annum quo bucolica edidit eumque quo Aeneida adgressus est poeta, quam undecim annis, ut in vita Serviana traditur, scripsit vel, ut Phocas v. 101 ait, *formavit tricteride quarta*. Ut hic sane ratiocinando magis

adsecutus quam certo testimonio accepisse calculos suos videri possit: quamquam mire contigit, ut ipse Guelferbytani librarius eum numerum IIII legisse videatur, quem si pro binis addas quinario numero, ultro pervenias ad *anno minus gemina lustra* Phocae. Itaque probabilius, ni fallor, corruptum fuisse scribae manu ante saeculum X in libro aliquo non Suetonianae, sed excerptae a Donato vitae numerum quam falsa finxisse grammaticum, qui meliore eius exemplari quam nos nostrorumque codicum librarii potuerit usus esse.

Quando autem finitum fuerit poema alio biographi p. 61, 1 sqq. testimonio constat. *Reverso* enim *post Actiacam victoriam* Caesari *atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti per continuum quatriduum recitasse georgica* dicitur '*suscipiente Maecenate legendi vicem quotiens interpellaretur ipse vocis offensione.*' Quod ne credamus non video equidem quid vetet. Certe rediens ex Asia anni 725 aestate imperator Brundisiumque transvectus quidni, priusquam mense Sextili Romam triumphans intraret, post bellorum itinerumque labores gravissimos breve per tempus in Campaniae ora corpus curans musis vacaverit? Auctorque Suetonius est et fauces eius nonnumquam *infirmatas* fuisse (Aug. 84) et recitantes carmina historias orationes dialogos eundem benigne et patienter audiisse (89). Atqui ipsius iussu Maecenatis, cui et urbis et Italiae salus, publice inde ab anno 723 demandata, iam antea summae curae fuerat, Vergilius composuerat georgica, ut vastatos bellis civilibus agros colere reique rusticae inpensius operam dare incitarentur homines Itali: quid igitur magis consentaneum quam principem, qui pacato tandem orbe terrarum Iani templum clausurus pacisque bona populo restituturus erat, familiaris poetae carmina et dulcissima et patriae utilissima cognoscendi cupidum fuisse?

Itaque incohata esse georgica nec post medium annum 717 nec ante extremum 715 vel ineuntem 716 concludimus. Iam vero videndum, num quae in ipsis insunt temporum indicia cum his rationibus satis conveniant.

Atque *primo* ex *libro* praeter Caesaris caedem v. 466 sq. commemoratam bellumque Philippense, cuius v. 489 mentio fit, duos maxime enotaverunt locos v. 24—42 et 509 sq. Quorum priorem recte videtur Franckius fast. Hor. p. 23 ad annum 718

retulisse, cum victoria apud Naulochum ab Agrippa de Sex. Pompeio ἐν φθινοπώρῳ reportata senatus decreto Novembris initio magnis Octavianus honoribus auctus in singulis civitatibus inter deos etiam municipales coli coepisset (Appiani b. c. V 132). Quamquam miror quod '*materna myrto*' v. 28 *lauream* coronam, quam perpetuam Octaviano tum decretam esse Dio XXXXVIIII 15 narrat, significari statuit: myrteam enim coronam ovantes gessisse Plinius n. h. XV 29, 125 sqq. et Gellius V 6, 20 sqq. auctores sunt et ovantem ex Sicilia urbem ingressum esse Caesarem idibus Novembribus anni 718 acta triumphalia Capitolina testantur. Nec propter marina classis pericula non sane semper feliciter superata *tempestatum potentem* v. 27 dictum esse intellego, cum quae mari gesta sunt altero membro inde a v. 29—31 tangantur, priore autem inde a v. 26—28 *urbium terrarumque cura* laudetur, quam suscepturus est. *Frugum* igitur *tempestatumque potentem* eo dici apparet, quod recuperata pace diligenter ac prudenter ab eo cautum iri sperat poeta, ne umquam postea annonae caritate laboret Italia atque Roma. Nam molestissima per Siculum maxime bellum fame laboravisse Romanos tradunt Dio XXXXVIII 31 et Appianus b. c. V 67 sq. Ipsam annonae curam anno demum 732 recepisse Augustum notum est. Denique quod in enarrandis rebus vere anni 720 gestis idem Dio XXXXVIIII 38 memorat ὡρμημένου δὲ αὐτοῦ (sc. τοῦ Καίσαρος) καὶ ἐς τὴν Βρεταννίαν κατὰ τὸν τοῦ πατρὸς ζῆλον στρατεῦσαι facile conicias paulo ante anno vel 718 vel 719 rumore hominum tractatum esse, ut quae v. 30 vaticinatur poeta '*tibi serviat ultima Thyle*' ad ipsam illam expeditionem Britannicam, quam mox paratum iri sermo esset, non inepte referantur.

Porro in extremo libro quod queritur v. 505 sqq.

fas versum atque nefas: tot bella per orbem,
tam multae scelerum facies; non ullus aratro
dignus honos, squalent abductis arva colonis *e. q. s.*

quod *saevire toto orbe Martem impium* dicit v. 511 quodque v. 500 precatur

hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo
ne prohibete!

certum est non posse anno 725 demum scriptum esse, quo triginta sex annorum vir Octavianus Iani templum clausit. Nam *hominum curare triumphos* (v. 504), h. e. quaerere, meditari

pugnandoque mereri nullo fere non tempore apte ille praedicabatur.

Sed tamen ad annum 719 difficile est cum Iahnio referre quae v. 509 sq. leguntur:

> hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
> vicinae ruptis inter se legibus urbes
> arma ferunt *e. q. s.*

Nam Parthi ut hoc potissimum anno bellum ultro moverint tantum abest, ut ipsi Romani Antonio duce arma illis intulisse tradantur a Dione XXXXVIIII 24, apud quem prorsus contraria illi hemistichio haec de Antonio leguntur: *καὶ λόγῳ μὲν τὴν εἰρήνην ἔπραττεν . . . ἔργῳ δὲ τὰ τοῦ πολέμου πάντα ἡτοιμάζετο. καὶ ἦλθε μέχρι τοῦ Εὐφράτου νομίζων ἔρημον αὐτὰν φρουρᾶς εἶναι κ. τ. λ.* Nihilo tamen minus sua Vergilius putandus est ante annum 721 scripsisse, antequam, ut Dionis L 1 verbis utar, *ὁ Πάρθος οὐδὲν παρεκίνει* et uterque imperator bellum contra alterum iam parabat. Atque etiam *τὰ προςπολεμήσαντα τῷ Καίσαρι ἡσύχαζε* ante idem tempus (Dio l. l.), ergo Germania quoque.

Cuius tamen nomine Salassos Tauriscos Liburnos Iapydes, Galliae illas et Norici et Pannoniae nationes, quas anno 719 seditionem fecisse Dio XXXXVIIII 34 praeter alios tradidit, nimis profecto inproprie a poeta comprehendi statuit quem Franckius sequitur Iahnius introd. XXIV. Nec rectius de Agrippae expeditione, qua is anno 716 Rhenum transgressus est, cogitabis: nam, alia ut taceam, minime tum Germani, sed Aquitani bellum moverant (Dio XXXXVIII 49), quibus devictis Ubios *μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου* (Strabo IV 194). At prorsus huc quadrant quae Dio LI 21 narrat, ubi Dalmaticum anni 725 triumphum describit: *Γάϊος γὰρ Καρίνας τούς τε Μωρίνους καὶ ἄλλους τινὰς συνεπαναστάντας αὐτοῖς ἐχειρώσατο καὶ τοὺς Σουήβους τὸν Ῥῆνον ἐπὶ πολέμῳ διαβάντας ἀπεώσατο· καὶ διὰ ταῦτα ἤγαγε μὲν καὶ ἐκεῖνος τὰ νικητήρια.* Illi quidem quando turbas excitaverint nescimus, nisi quod ex eis quae supra disputavi probabile est, et Parthos et Germanos eodem fere tempore intra annos 719 et 721 fines bellando transgressos esse. Itaque ubi triplicem anni 725 triumphum describens Vergilius *victas gentes* quae *longo ordine ince-*

Digitized by Google

dant colligit, Aeneidis libro VIII extremo, non praeteriit aut Euphratis aut Rheni in tempus saltem pacatorum memoriam:

> Euphrates ibat iam mollior undis
> extremique hominum Morini Rhenusque bicornis
> indomitique Dahae et pontem indignatus Araxes.

Multo vero etiam minus liquet de tempore, quo in georgicon loco nostro v. 510 '*vicinae ruptis inter se legibus urbes*' *arma ferre* dicuntur. Nam qui apud Dionem XXXXVIIII 15 brevissime tanguntur Etruscorum tumultus et moti anno 718 et sedati (*τά τε τῶν Τυρσηνῶν στασιάσαντα ἔπειτα ἅμα τῷ τῆς νίκης αὐτοῦ πυθέσθαι κατέστη*), eos minime probabiliter a Iahnio in hunc locum inferri vel eo intellegitur, quod non de ullis seditionibus, quibus a Romanorum potentia defecerint civitates, sed de turbis dicitur, quibus inter se vicinae alia contra aliam excitatae sint. Quales quidem per totum bellorum civilium tempus, maxime in Mutinensi et in Perusino, sed etiam postea totam per Italiam, nec Italiam tantum, sed provincias durasse et iterum iterumque erupisse tam consentaneum est tempestatis illius vicissitudinibus quam historiae fide firmatum (cf. Dio LI 4, 6). Nec iniustae querellae illae nisi post bellum Actiacum.

Quod igitur calidius coniecit Franckius anno 719 seorsum editum esse georgicon librum primum, id nunc ita abhorrere intellego a vero, ut eo anno ne 'ad finem' quidem 'perductum' esse illi vel Vossio (ge. p. 311. 529) concedam. Nec quidquam obstat, quin Horatium prioris libri satiram primam duobus vel tribus annis post annum 719 composuisse statuamus, si quidem recte Kirchnerus (in satirarum Horatianarum editione vetere anni 1829 p. 200) eius eclogae v. 114 sq. ad georgicon v. 512 sq. exemplar expressos esse suspicatus est. Amico autem Vergilium vel nondum perfecti atque editi operis partem aliquam monstrasse vel recitasse quid mirum? Itaque ne haec quidem ex prioris libri satira decima (v. 44) 'molle atque facetum Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae' ut multo ante annum 725 scripta et possunt esse et sunt sine dubio, probant ullum georgicon librum separatum ceterisque prius in vulgus prodiisse. Bavii obtrectatoris, qui anno 719/20 mortuus est, versum 'hordea qui dixit, super est ut tritica dicat' non ad ge. I 210, sed ad bucolicon ecl. V 36 spectare in lectt. Verg. p. 2 monui.

Iam ad *secundum librum* ut progrediamur, primum portus Iulius anno 717 effectus (Dio XXXXVIII 50 sq. Suet. Oct. 16) v. 161—164 commemoratur. Praeterea dubium non est quin post pugnam Actiacam poeta haec (v. 170 sq.) scripserit:

te, maxume Caesar,
qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
inbellem avertis Romanis arcibus Indum,

quae aliis probabilius Ladevicum de universis orientis populis Cleopatra et Antonio ducibus Italiae et Romae periculum minatis, sed fortiter iam repulsis intellexisse nunc coll. Aen. VIII 685—688. 705 sq. 724—728 satis mihi persuasi. Et visit devicto apud Actium Antonio Asiam Octavianus hiememque anni 724/725 in Syria transegit τά τε τῶν ὑπηκόων ὡς ἕκαστα καὶ τὰ τῶν Πάρθων ἅμα καθιστάμενος (Dio LI 18), ut nihil sit quod interpolatos versus 171 sq. sive ab aliis sive ipsius poetae curis secundis suspicati sunt.

Cumque his optime conspirant libri *quarti* versus extremi:

haec super arvorum cultu pecorumque canebam
et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
fulminat Euphraten bello victorque volentis
per populos dat iura viamque adfectat Olympo

quibus Wagnerum male usum esse, ut georgicon tempus intra annos 723—725 constringeret, olim in lectt. Verg. p. 1 demonstravi. Valebant autem haec etiam vere anni 725 exeunte. Nam aestate demum in Graeciam Italiamque rediit Caesar (Dio LI 21).

Eodem illo anno 724 facile memorari poterat libri II v. 497

coniurato descendens Dacus ab Histro

ut quo M. Crassum constet cum Dacis et Bastarnis bellum gessisse (Dio LI 23), de quibus a. d. IIII Non. Iul. anni 727 triumphavit (cf. Mommseum ad res gestas divi Augusti p. 88). At quae antecedenti versu nec non v. 510—512 tangitur *infidos agitans discordia fratres* magnopere dubito num recte ad Tiridaten et Phrahaten referatur, quos fratres fuisse quo confirmetur testimonio frustra quaero. Nam fratres a Phrahate iam anno 717 occisos esse testatur Dio XXXXVIIII 23, nec si vel propinquum illius Ti-

ridaten fuisse accepisset, his verbis usus esset LI 18: *καί τινος Τηριδάτου τῷ Φραάτῃ ἐπαναστάντος κ. τ. λ.* Nec Iustini auctor Trogus consanguineos habuisse videtur, nam haec apud illum XXXXII 5, 6 leguntur: 'hoc' (sc. Phrahate) * absente regem Parthi *Tiridatem quendam* constituerant' e. q. s. et mox: 'quo cognito Phrahates legatos statim ad Caesarem mittit, *servum suum Tiridatem* et filium remitti sibi postulat'. Itaque nec ad ea quae anno 724 in Syria Octavianus cum Parthis egit (Dio LI 18) nec ad ea quae in senatu anno 731 praesente ipso Tiridate acta sunt (Dio LIII 33) respici adfirmaverim. Fratres quidem novimus Armenios Artaxiam (quem Artabazen Dionis codices LIIII 9 appellant) et Tigranem, Artavasdae, ut Tacitus ann. II 3 perhibet, filios illos, quorum alterum ut expelleret regno, alterum restitueret, Tiberium ab Augusto anno 734 missum Dio, occisum autem per dolum propinquorum, antequam in regnum Tigranes deductus sit, Artaxiam esse Tacitus narrat. Sed quoniam una cum patre aliisque fratribus*) Tigranes anno 720 ab Antonio captus Alexandriamque primo, postea mortuo Antonio a Caesare Romam deductus est, anno autem 734 ibidem commoratus esse a Dione traditur, ne inter hos quidem fratres flagrans discordia Vergilio illa cum scriberet exemplo fuisse potest. Itaque quamquam non nego, posse suae aetatis dissidia et discrimina sat multa ei obversata esse, tamen non possum quin laudem scholiastam Guelferbytanum, qui ex fabulis Graecorum Eteoclem et Polynicen excitaverit, quibus alterum Atrei et Thyestis par nobile addere poterat.

Ceterum nondum omnia pacata et laeta in exitu maxime libri secundi nescio quae tristitia (539 sq.) prodere videtur, quae ad anni 724/725 hiemem satis accommodata erat.

---

*) Dio XXXXVIIII 40 *καὶ τὸν Ἀρμένιον μετά τε τῆς γυναικὸς καὶ μετὰ παίδων ἄγων.* cf. LI 16: *τῷ δὲ Ἀρτάξῃ τοὺς ἀδελφοὺς καίπερ αἰτήσαντι οὐκ ἔπεμψεν* (Caesar post pugnam Actiacam mortuo Antonio), *ὅτι τοὺς ὑπολειφθέντας Ῥωμαίους ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ ἀπεκτόνει.* Iosephus antiq. XV 4, 3 *Ἀρμενίας δ' ἐβασίλευσεν Ἀρταξίας ὁ πρεσβύτατος τῶν ἐκείνου* (Artabazae) *παίδων, διαδρὰς ἐν τῷ τότε· καὶ τοῦτον Ἀρχέλαος καὶ Νέρων Καῖσαρ ἐκβαλόντες Τιγράνην τὸν νεώτερον ἀδελφὸν ἐπὶ τὴν βασιλείαν κατήγαγον*

Restat ex *tertio libro* splendidissima templi descriptio, quod Caesari vovet poeta v. 13 sqq., unde haec iuvat describere (22 sqq.):

iam nunc sollemnis ducere pompas
ad delubra iuvat caesosque videre iuvencos
vel scaena ut versis discedat frontibus utque
purpurea intexti tollant aulaea Britanni.
in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,
atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas.
addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
fidentemque fuga Parthum versisque sagittis
et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
bisque triumphatas utroque ab litore gentes.

Ex quibus quod versuum 28 sq. et 31 nulla in Probianis scholiis interpretatio legitur, non satis idonea causa videtur, cur de fide eorum dubitemus. Hic igitur quod primum Britanni intexti aulaea scaenae tollere dicuntur v. 25, victoriam aliquam nuper de eis reportatam tangi frustra suspicati sunt. Vivo Vergilio Octavianus ter paravit quidem vel parare se simulavit expeditionem Britannicam annis 720 (Dio XXXXVIIII 38), 727 (idem LIII 22), 728 (idem LIII 25), fecit tamen numquam: ut Iulii Caesaris nomen Augusti loco apud Servium in hoc scholio restituendum sit: 'hoc secundum historiam est locutus. Nam Augustus postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis, quos abduxerat, donavit ad officia theatralia. Dedit etiam aulaea, i. e. velamina, in quibus depinxerat victorias suas et quemadmodum Britanni ab eo donati eadem vela portarent, quae re vera portare consueverant.' Recentem rerum gestarum memoriam servant versus sequentes: sed quarum? Ad Actium et bellum Siculum (cf. Aen. VIII 684) dubitari non potest quin spectent versus 28 sq., nec negaverim urbes Asiae domitas (v. 30) cum Octaviani Asiam hieme anni 723 peragrantis (Dio LI 2) dici potuisse; ne Parthorum quidem (v. 31) aut Gangaridum pugnae (v. 26 sq.) mentionem circa idem tempus inceptam fuisse ex eis quae supra p. 16 et 18 disputavimus et inde apparet, quod tum demum, ἐπειδὴ καὶ τὰ περὶ τῶν Πάρθων γράμματα ἦλθεν, insignes illi honores Caesari decreti sunt, quos enumerat Dio LI 20. Item *pulsum Niphaten* (v. 30) docet 'pontem indignatus Araxes' Aen. VIII 728 laudibus Caesaris iam

Digitized by Google

anno 724 addi potuisse. Et cum in Aeneide I 287. 289 Caesar imperium oceano terminare et spoliis orientis onustus esse anno 725 clauso Iani templo dicatur cumque in triumpho anni 725 in Aen. VIII 714 sqq. descripto totius fere orbis terrarum nationes tamquam victae et Euphrates cum Rheno producantur, ne *tropaea* quidem illa versus 32 *bisque triumphatas utroque ab litore gentes* nimiam difficultatem movere fatendum erit. Nam et orientis et occidentis spolia in triumpho illo exposita sunt et post quattuor Iulii Caesaris ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, ex Africa triumphos anno 708 actos, P. Ventidii autem ex Tauro Monte et Partheis triumphum anni 716 poterat sane anno 725 utroque ab litore gentes bis triumphatas non nimis temere admirabundus poeta gloriari. Quid quod Horatius quoque in satira libri secundi prima, quam ante annum 724 scriptam esse admodum probabile est, ei, qui 'Caesaris invicti res dicere' susceperit, et Gallos 'fracta pereuntis cuspide' et 'labentis equo Parthi volnera' describenda statuit (v. 14 sq.)? Itaque ad coniecturam ab Heynio ut 'non absurdam' propositam et acceptam a Wagnero, vel totum locum vel certe v. 32 secundis curis insertum esse, confugere opus non est.

Ergo nec Crassi signa Augusto a Parthis anno 734 reddita, quae 'rapta manu' ne poterant quidem satis apte dici, nec Cantabri perdomiti illi anno 729, iterum anno 735 ineunte ab Agrippa profligati ut georgicis inferantur, accuratae interpretationis necessitate evincitur, praesertim cum redeuntis ex Asia Augusti in urbem introitum triumpho similem (Dio LIIII 8), qui a. IIII Id. Oct. anni 735 fuit, ne viderit quidem poeta noster iam decimo Kal. Oct. Brundisii defunctus.

Nam quod ad 'victoris arma Quirini' (v. 27) et ad Aen. I 292 in scholiis Servianis de Quirini nomine in Caesarem delato legitur tamquam ex Suetonio excerptum 'quodam tempore tres partes populi consentiente senatu obtulisse ei tria nomina Quirini Augusti Caesaris. ille ne unum eligendo alias offenderet partes, primo Quirinus est dictus, inde Caesar, post in nomine permansit Augusti', Thurini et Quirini nomina a commentatore confusa esse docet ipse Suetonius Aug. 7 (cf. Rothii editio p. 286, 29). Quanto autem ante annum 727 de Romuli nomine agitatum sit nec hic in eodem capite nec Dio LIII 16 accuratius definiunt: probabile tamen est ipsum quidem principem statim post finita bella civilia

alterum se urbis conditorem ab amicis certe et poetis appellari haud aegre passum esse*).

Caput III.
De retractatis a poeta georgicis.

Sed quamvis rerum gestarum notitia in georgicis nulla ultra annum 725 pertineat, nihilo tamen minus confidenter quam olim in lectt. Vergil. adfirmaverim, *retractando* poemati Vergilium etiam postea operam inpendisse. Traditur enim in scholiis Servianis ad ecl. X 1 et ge. IV in prooemio (nam in Donati vitam interpolatione prior ille Servii locus inlatus est), quartum georgicon librum a medio usque ad finem Cornelii Galli amici ad praefecturam Aegypti ex infima fortuna ab Augusto provecti laudes olim continuisse; sed is cum et accusatorum delationibus et senatus consultis anno 728 ad necem compulsus esset**), iubente principe poetam laudibus illis deletis sive Aristaei sive Orphei sive utramque fabulam substituisse***).

Quod etiamnunc recte ita explicare mihi videor, ut cum in quarto libro de Aegyptiorum apes procreandi arte et Aristaei invento exposuisset (281 sqq.), simili modo ut in extremis libris primo et secundo ad publicas res digressus finem faceret celebrandis coniunctissimi sibi et amicitia et musarum cultu viri laudibus, qui primus tunc, hoc est inde ab anni 724 auctumno†), provinciam Aegyptum regeret inventique notitiam amico vel impertire vel certe confirmare potuisset. Quas post funestam eius

*) Dio l. l. ὁ *Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν ἰσχυρῶς Ῥωμύλος ὀνομασθῆναι.* αἰσθόμενος δὲ ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὐκέτ' αὐτοῦ ἀντεποιήσατο.

**) Dio LIII 23 sq. Suetonius Aug. 66 Ammianus Marcellinus XVII 4, 5 Eutropius VII 7 Hieronymus Ol. 188, 2 (Sueton. fr. p. 42 R.).

***) Servius ge. IV init. 'nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc *Orphei* continet fabulam, quae inserta est, postquam irato Augusto Gallus occisus est' *Orphei* Vat. 3317 *Aristei et Orfei* Paris. 7959 teste Thilone. *Aristaei Orphei* Vossianus et quem ipse inspexi Barberinus.

†) Dio LI 17 Strabo XVII p. 819 Hieronymus Ol. 187, 3.

Digitized by Google

cladem delere iussum Aristaei fabulam insertis maxime de Orpheo versibus 457—527 amoenissimis, sed ad ipsum operis consilium minus necessariis exornavisse conieci, nec piget coniecturae quamvis repudiatae a Ladevico annal. philol. LXXIII 464, cui respondi quantum intellegenti satis ibidem LXXV 75. Atque concessit Ladevicus ipse nuperrime in censura emendationum Peerlkampianarum, quam gymnasii Neostreliciensis programmati a. 1864 inseruit, p. 3; idemque p. 26 animadvertit, breviorem et neglegentiorem hic illic (471. 454. 490) narrationem esse. Nec Peerlkampus Mnemos. X 305 sq. invenit, quo refelli posset memoria illa.

Quae autem praeterea secundarum curarum, quas absolvere morte prohibitus est poeta, in georgicis vestigia deprehendisse mihi visus sum, hic ut et corrigerem quaedam et adderem, ipse secundis curis repetenda esse duxi.

Et primum 'scriptum in quodam commentario' se repperisse Gellius VI (VII) 20 narrat georg. II 225 versus 'a Vergilio ita primum esse recitatos atque editos: *talem dives arat Capua et vicina Vesevo Nola* iugo, postea Vergilium petisse a Nolanis, aquam uti duceret in propinquum rus, Nolanos beneficium petitum non fecisse, poetam offensum nomen urbis eorum quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, *oram*que pro *Nola* mutasse atque ita reliquisse: *et vicina Vesevo ora iugo*'. Idem ex eodem fonte in brevius contraxit Philargyrius adnotans 'et emendavit ipse, quia *Nolam* posuerat. nam postea offensus a Nolanis, qui eidem aquam negaverant, *ora* pro *Nola* posuit.' Non 'laborare' se ait Gellius 'ea res verane an falsa sit', et fidem fabellae quis hodie spondeat? Cuius tamen si probabiliter et Iulius Kretzschmerus in diss. de A. Gellii fontibus p. 77 et Ludovicus Mercklinus annal. philol. 1861 p. 722 C. Iulium Hyginum, Augusti libertum illum, Ovidii familiarissimum, bibliothecae autem Palatinae praefectum (Sueton. de ill. gr. 20), qui praeter commentarios Vergilianos 'de urbibus Italiae' scripsit, auctorem fuisse statuerunt (et videntur probabilius statuisse Reifferscheidio, qui Suetonio suo haec quoque vindicavit p. 57), nolim tanta confidentia, quanta post alios M. Hauptius ind. lectt. aest. Berolin. a. 1857 p. 4*) usus est, ut absurdam aspernari narratiunculam atque

*) Qui cur Wagneri quam meo de Palatini codicis scriptura testimonio credere maluerit nescio: id scio, vidisse me Aen. VII 740 scriptum in eo BELLAE, non ABELLAE.

'ad commenta et fabulas' referre, 'quibus Vergilii nomen tempore satis antiquo cumulari coeptum est.' Nam quae ad Aen. VII 740 in Servianis scholiis adnotata leguntur '*moenia Bellae:* multi *Nolam* volunt intellegi et dicunt iratum Vergilium nomen eius mutasse propter sibi negatum hospitium, et id aperte noluisse dicere, sed ostendere per periphrasin. nam illic Punica mala nascuntur, ut nunc *Bella* pro *Nola* posuerit', haec mera coniectura ad inauditum Bellae oppidi nomen explicandum proposita esse et 'volunt intellegi' illud et aliorum quae in sequentibus memorantur opiniones docent, cum nostri loci difficultate nulla vanitas fabellatorum invitata sit. Nec, verum ut fatear, satis intellego, quid tam 'absurdi' insit in narratione Gelliana. Nam qui 'secessu Campaniae plurimum uteretur' poeta (vita p. 57, 15) non inops quique Neapoli scriberet georgica, quidni et villam possederit in agro Nolano et de aqua in rus suum deducenda acrius cum vicinis egerit et offensam poeticis armis ultus sit?

Sed quacumque permotus est causa ut Nolae memoriam oblitteraret, testatur commentarius ille primum *et recitavisse et edidisse* Vergilium *Nola*, postea *mutasse atque reliquisse ora.* Et de hoc ne Gellius quidem dubitavit; dubitavit tantum de causa mutationis, quam quod maluit suavitate quadam canori simul atque iucundi hiatus inter utrumque versum positi interpretari, videtur sane argutari: nam et conexos sententia et distinctos interpunctione versus vocalium concursu coalescentes in georgicis ut plurimos invenies, ita 'canoro' illo vocalium o concurrentium hiatu poeta mirum in modum abstinuit, qui in quattuor georgicon libris praeter ge. II 386 ('soluto, oraque', ubi intercedit interpunctio) non plus duo eaque in quarto libro exempla prorsus similia posuerit: 217 'bello obiectant', et 265 'ultro hortantem'.

Illi autem testimonio olim alia non minus certa Servii ac Philargyrii adiunxi, quae suo quodque loco in commentariis criticis adposui: ad ge. I 6. 13. 66. 69 sq. II 344 IIII 112. 141. 231. Tradunt autem talia: 'emendavit ipse; emendatum fuit; prior lectio; ipsius manu; ipsius manu duplex fuit scriptura; ipsius manu adiectum; ipsius manu adiecti deletis duobus.' Itaque ne haec quidem omnia de singulis vocibus mutatis (ut *maturis solibus* pro *frugibus, lumina* pro *numina, equom* pro *aquam, caloremque* pro *calorque, pinus* pro *tinus, flores* pro *fetus*), sed de totis versibus vel hemistichiis certe transformatis testantur.

Quaerenti autem unde commentatores nostri, quos ipsius poetae exemplar vel 'ex domo familiaque' Gell. I 21 eius libros volvisse vix quisquam sibi persuadebit, illa acceperint, non nihil habeo equidem quod respondeam. Philargyrius enim ad ge. II 332 haec adnotavit: '*Celsus* ait *germina* reliquisse Vergilium. loquitur enim de omnium arborum fetu. unde male quidam *gramina* legunt.' Atqui ad ge. IV 1 idem haec: '*caelestia dona*, sive quod Iuppiter melle nutritus sit in insula Creta sive quod in aëre concipiatur. nam, ut ait *Cornelius Celsus*, apes ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel.' His autem recte intellegi *A. Cornelium Celsum*, rhetorem et philosophum imperante Tiberio (cf. Fr. Ritterus in Iahnii annall. philoll. 1843 XXXVIII p. 54 sqq.) nobilissimum, encyclopaediae scriptorem (cf. O. Iahnius commentatt. soc. Lips. 1850 p. 273 sqq.), qua praeter cetera rhetoricam artem et quinque libris totum corpus disciplinae rusticae amplexus est, ut Columella de re r. I 1, 12 tradit, huius ipsius testimonio probatur, qui IX 14 ubi de melle ab apibus parato disputat, ter eundem Celsum auctorem laudet et in extremo capite haec scripserit: 'idemque ait ex floribus ceras fieri, ex matutino rore mella.' Et hoc quidem Philargyrii loco praeter Fr. Ritterum l. l. p. 65 Otto Iahnius quoque prolegg. in Pers. p. CXLVIII concedit medicum et philosophum illum laudari, sed idem Suringaro II 165 adstipulans putanti eum ipso pleniore Cornelii Celsi nomine discerni ab altero grammatico, qui in Vergilianis scholiis simpliciter Celsus, a Charisio p. 196 P. Arruntius Celsus, aliis locis modo Arruntius modo Celsus appelletur. At primum quod ceteris locis simpliciter Celsus appellatus Cornelius Celsus pleniore nomine in ipso quarti libri initio dicitur mirum non est, ubi solebant in excerpendo paulo diligentiores esse. Praeterea vero Arruntius iste, C. Iulio Romano antiquior grammaticus, apud Charisium p. 180. 191. 196 P. singulas voculas 'ilicet' 'pariter' 'tuto' ex undecimo Aeneidis excerptas ut alia antiquioris sermonis adverbia apud comicos maxime poetas obvia (p. 185 'nimium' 189 'plurimum' 190 'perdite' 197 'ut' pro 'utinam', 'viciniae') brevissime explicat, quaeque eodem auctore et Donatus ad Ter. Phorm. I 2, 32 de verbi 'ardere' apud antiquos usu et Priscianus p. 607. 644. 680. 708. 774. 870. 962. 1347 P. de 'citer' adverbio, de pronomine 'mius', de sestertio, de vocabulo 'capis', de vici nomine 'Cim', de emblematum toreumatum peripetasma-

tum genetivis, de verborum in 'geo' desinentium praeterito protulerunt, grammaticum produnt in reconditiores voculas et formas colligendas et perlustrandas magis quam in scriptores perpetuo commentario illustrandos intentum, ut Ritschelius parerg. 370 tam Plautinos quam Terentianos commentarios ab eo rectissime alienos habuisse videatur. Atque simili sane ratione sermonem illustratum a Celso bis etiam in georgicis reperimus: ad III 188 quid 'inque vicem' et ad III 296 quid 'dum mox' sibi vellet quaesivit, sed ita tamen ut hae quaestiones sententiae magis quam grammaticae causa institutae esse videantur, nam dubitaverunt interpretes de utroque loco (v. Philarg. et Serv.). Longius vero ab ista ratione remota sunt reliqua. Nam ad I 277 *pallidus Horcus* scripturam probavit et cur iurisiurandi deus pallidus dicatur explicavit (Serv.), ad II 482 docuit 'Oceanum significari, qui aestu suo diffidit terram inter Mauritaniam et Hispaniam' eoque spectare *obicibus ruptis* (Philarg.), et ex eodem commentario Servii adnotatio excerpta est: 'alii sic accipiunt, quod ruptis obicibus, i. e. Calpe et Atlante montibus Hispaniae et Mauretaniae Oceanus eruperit et ista fecerit maria, quod non procedit' e. q. s. Porro ad III 313 ciliciorum usum docte illustravit, ubi Philargyrius ad verba 'usum in castrorum' adnotavit: 'quod inde tormenta fiant itemque cilicia, quae Celsus ait rettulisse Varronem (de re rust. II 11 extr.) ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus sit', quae suppleri possint ex Servianis scholiis: 'in usum autem castrorum ideo dixit, quia de ciliciis et poliuntur loricae et teguntur tabulata turrium, ne iactis facibus ignis possit adhaerere. et bene laudat capellas dicens ciliciorum usum et in mari et in terra prodesse mortalibus'. Talia aliena esse a rei rusticae ac militaris scriptore Cornelio Celso quis contenderit? Nec video quo iure Graefenhanius hist. philol. IV 308 dixerit, ad res multo minus quam ad verba illustranda spectare locos supra commemoratos.

Ego quidem cum reputo Hygini, qui et auctor Vergilii in georgicis fuit et in carminibus eius acri studio versatus est, discipulum fuisse Cornelium Celsum ipsumque data opera de re rustica libros scripsisse, testatum autem Celsum aliquem, quid in georgicon loco quodam *reliquerit* poeta, cetera, quae idem Celsus ad georgica adnotavit, hominem prodere elegantem, in geographia, in re rustica, in Hesiodi operum et dierum poemate versatum, vo-

cabula ad sensum poetae eliciendum definientem, facile mihi persuadeo, a Cornelio Celso illo commentarium saltem georgicon scriptum fuisse. Nec vereor ne quis hodie Bianconii argumento quidquam tribuat, doctiorem videri medicum fuisse quam qui ad commentanda carmina descendisset. Nam ut concedas, de ciliciis, de capistris equorum (ge. III 188), de retinendis per hiemem in stabulo ovibus (III 296), de melle ex rore matutino facto eum satis commode in rei rusticae libris potuisse ita disserere, ut versiculorum Vergilianorum non mentionem tantum, sed explicationem inmisceret, ut adeo largiar in eisdem quaeri potuisse, utrum rectius germina an gramina vere novo crescere dicantur, tamen de pallido Horco aut de 'obicibus ruptis', qui in digressione a rustica disciplina longe aliena (II 480) memorantur, vix probabile est non in commentario aliquo georgicon expositum fuisse.

Denique Quintilianum VIII 3, 47, qui non probat Celsum κακέμφατον apud Vergilium putavisse in his: 'incipiunt agitata tumescere' (ge. I 357), quamquam probabilius est rhetoricos eius libros respicere, quos et in universum III 1, 21 laudavit, ubi auctores artis tam Graecos quam Romanos enumerat et paulo ante in eodem capite VIII 3, 35 respexit, tamen ex hoc ipso exemplo satis apparet, quam arte rhetoris et grammatici vel interpretis officium coniunctum fuerit, ut facile credam, Celsum nostrum, si quidem commentatus est georgica, etiam in commentario κακέμφατον illud notavisse. Inter rhetores Latinos qui extant de hoc vitio praeceperunt Iulius Victor c. 20 p. 433, 7 H Martianus Capella c. 34 p. 475, 24 H. Isidorus de rhet. c. 20 p. 517, 9 H.

His vero accedit quod in scholio ex codice Lemovicensi, ni fallor, quem Vossianum esse Thilo mus. Rhen. XIV docuit, a Petro Daniele Servianis ad ge. I 12 addito haec leguntur: 'in Cornel. *equum*, in authentico *aquam*, ipsius manu *equum*.' Quid si Cornelii Celsi nostri exemplar intellegamus, qui hic quoque quod reliquerat poeta in textum suum receperit? praeterea in scholiis Bernensibus editis a C. W. Muellero, quae poenitet mihi cum georgica edidi ad manus non fuisse, memoratu dignissima haec extant: ad ge. IV 87 'in Corniliani *quiescent*' (ut *P*), 'non *quiescunt*' (ut *M*); ad 120 '*intyba* inebrii' (de quo alio loco di-

cam), '*intuba* in Corniliani' (*intiba* nostri codd.); ad 175 '*forcipe* inebrii et *forfice* in Corniliani' (*forcipe* nostri: cf. Aen. VIII 453). At *Cornelianum* grammaticum novi neminem: cogitavi aliquando de Cominiano, Charisii auctore, cuius praecepta quaedam in scholiis Vergilianis (Serv. ad ecl. III 21 schol. Leid. ad ge. I 215 Bernens. ad ge. II 311: cf. H. Keilius gramm. Latt. vol. I praef. XLVIII) laudantur. Sed ne hunc quidem vel recensendis vel commentandis Vergilii carminibus operam dedisse accepimus. Ergo, nisi quis probabiliora edocebit, aut Cornelianus ignotus homo retinendus aut paulo ut fateor audacius *in Corneliano* sive *in Cornelianis* ter corrigendum.

Sed procul a Cornelio Celso, cuius studia in solis georgicis versata esse statuerim, Cornelianos illos commentarios habeo, quos apud Pomponium Sabinum (quem Pomponium Laetum esse olim Naekius probavit opusc. I 119 sqq.: cf. Iahnii ad Pers. prolegg. CXLIX) ad Aen. VI 1 Probus commemorare dicitur in his: 'Probus his duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis commentariis, et Vergilium ita etiam finisse manifestum est et inchoasse sextum librum: obvertunt' e. q. s. Quae num re vera ex scholiis Probi locupletioribus hausta, ut O. Iahnius prolegg. ad Pers. CXLVII statuit, numque accurate descripta sint, quisve Cornelius ille fuerit, an aliud nomen substituendum sit, non liquet, quamquam Wagneri, qui 'in Tuccae et Varii Vergilianis commentariis' legi iubet, parum probabilis est coniectura. De Celso certe ut cogitemus nihil suadet. Laudat Servius ad Aen. IV 127 *Cornelium Balbum*, qui de Hymenaei numine fabulam protulit, et ex eiusdem ἐξηγητικῶν libro octavo decimo quaedam de arae maximae sacris ad illustrandum Aen. VIII 175 sq. Macrobius Sat. III 6, 16 excerpsit. Et si apud schol. Veron. ad ecl. VII 37 in his: '*alii Corneli* epitheton dicit Nerine, ut declararet Siculam esse Galateam' Otto Iahnius l. l. p. CXLVII recte 'Cornelium' interpretem 'aliter' sentientem agnovit, hic quoque Balbus ille haberi potest. Nisi forte haec saepius in Veronensibus scholiis, etiam ad ecl. III 40 et VI 9 memorato *Cornuto* probabilius etiam tribuantur, ad quem has quoque ex eisdem ad Aen. XII 470 lacinias retulerim: 'extulit et longe lapsum temone reliquit] —t in Corn. et —nit, ego reli—'.

Itaque 'tenuissimam' saltem 'aurae famam' editorum post Vergilii mortem georgicon, qualem fuit qui desideraret, vel

his quamvis incertis et obscuris memoriae vestigiis deprehendisse mihi videor. Sed ipsum Tuccam et Varium praeter Aeneida et eclogas et georgica edidisse ex his vitae verbis satis confidenter concludo: 'ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit, ne quid ederent quod non a se editum esset', quibus ut edita ab ipso georgica et bucolica iterum ederent tantum non iussisse videtur amicos Vergilius. Ut scholiasta quem supra laudavi Lemovicensis 'authenticum exemplar' ab ipso poeta prius editum, 'ipsius manum' eam intellexisse putandus sit, quae alteram carminum recensionem passim adgressa sit.

Ergo non debebat Marklandus, qui perfectam dici posse Aeneida fortiter negavit in praefatione ad Statii silvas, de georgicis benignius concedere. Et laetor Peerlkampum Muemos. X 123 mecum sic statuere, numquam desiisse Vergilium georgica licet absoluta et edita castigare et ad perfectionem magis magisque adducere.

Cuius tamen sententiae quod ipse ascire sibi visus est testimonium nihili habeo. Vult enim apud Servium ad ge. I 112 haec legi: 'et est Virgilii hoc hemistichium unum de *inductis*' (pro '*invictis*') et ad Aen. X 190 'et est unum de his quae habet Virgilius *immutabilia*' (pro '*inimitabilia*'), quod falsum esse docent statim subiuncta '*et sua propria.* tale est illud ge. III 192 item I 113.' Statuit scilicet Peerlkampus p. 121 dici haec de exemplari ipsius Vergilii, in quo alia deleta, suprascripta alia, denique alia inducta fuerint, et inducta ita ut aut meliora supra scripserit aut, cum meliora statim non inveniret, vetera 'reposuerit'*). Quae igitur inducta reposuerat, cum quid suprascriberet non se obtulisset, *immutabilia* a grammaticis dici. Profecto ge. III 192 qui semel invenit, non inducturus vel mutaturus erat. Quid in I 113 tantopere admirati sint, ne mihi quidem liquet, sed admirabilis videtur v. 112. Nisi forte in hemistichio 113 admirabantur numeros et sonorum temperamentum felicissimum quoddam. Ceterum 'inimitabilia' possint etiam dici quae ne imiteris cavendum sit, nisi illud 'de invictis' vetet ne κακοζηλίαν intell a-

*) Servius ge. I 64 primis extemplo a mensibus anni]... [*extemplo* induxit et reposuit].

mus. Quamquam audacter novata ab aliis summa admiratione, ab aliis si non reprehensione digna, at certe non imitanda haberi possunt.

Sed ne apertis quidem commentatorum testimoniis ubique fides habenda est: potuerunt enim illi quoque corrupta exemplaris sui scriptura falli. Quod in antiquiore versus I 69 forma memoranda accidisse scholiastae conicienti Peerlkampo l. l. p. 119 adsentior.

Certiora *secundarum curarum* vestigia in ipsis libris nostris deprehenduntur. Ex quibus *R* priorem lectionem *maturis frugibus* solus servavit I 66, ipsius poetae manu 'adiectum', ut Servius ait, *maturis solibus MP*, item *R* cum *M* in IV 231 *fetus* priorem scripturam, pro qua emendatum *flores* in Palatino solo extat. Conspirant *MPR* in emendatis lectionibus *lumina* I 6 et *equom* I 13. Denique non tam ipsius poetae quam recentioris correctoris manum repraesentare videtur quod *MR* et Nonius in II 344 exhibent *caloremque*, pro quo antiquiorem teste Philargyrio lectionem *calorque P* servavit. Atque in ceteris quoque locis, ubi de singulis vocabulis discrepant testes nostri (velut I 226. 327. II 294. 542. III 310. IIII 125. 173. 217. 230. 319. 443. 509), anceps iudicium est, ut possit per se ipsius poetae utraque manus esse, neutram tamen ex interpolatoris vel glossatoris, qualis in I 73. 106. 203. 335 II 194. 295. 296 III 545. IIII 69. 331 agnoscitur, ingenio ortam esse necessitate vel auctoritate nulla evincatur.

Atque universam quidem memoriae Vergilianae naturam respicienti probabilius sane videbitur, georgicon quoque codices et nostros et qui versiculos inde excerpserunt scriptorum veterum ad fidem redire Varii et Tuccae, quos plerumque quod secundis curis correctum reliquerat poeta edidisse, hic illic vel consulto neglexisse vel oblitteravisse incuria aut errore consentaneum est. Ac talia fortasse Celsum castigavisse ex Philargyrii ad ge. II 332 adnotatione supra commemorata colligas.

Sed omnino secundas illas poetae curas non in syllabarum tantum vocularumque flosculis adornandis versatas, sed in rerum quoque enarratione nova vel intulisse vel pro aliis substituisse ipso Servii de Galli laudibus Orphei fabula mutatis testimonio firmatur. Et quoniam ipsum iterum georgica poetam edidisse traditum non est, immo quid reliquisset, adhibitis exemplaribus ipsius manu emendatis explorandum erat a criticis, facilis suspitio est,

incohata necdum in reliquum textum satis concinne inserta ne amicis quidem absolvere et in aptam formam redigere vel licuisse vel contigisse. Tales autem nobis existimare licet eos locos, qui vel cum sententiarum nexu et ordine satis conciliari non possint vel sine causa repetant mutatis verbis quae in eandem sententiam paulo ante dicta erant.

Et notavit eius generis quaedam sane Wagnerus ad ge. IV 203 (I 47—49. 135 II 171 sq. III 32. 219 IIII 276. 291—293), sed tam ille strictim, ut obiter rem attigisse potius quam pervestigasse iudicandus sit. Atque iniuria hinc ab eo relata II 171 sq. et III 32 supra (p. 18 et 20 sq.) tractavi. Immerito idem III 219 repudiavit, non considerans, subitum taurorum conspecta procul iuvenca certamen non potuisse acrius depingi quam omissa omni inter 219 et 220 copula; ut non opus sit coniectura Peerlkampi p. 248, qui v. 217 *ut saepe* scribens, quia structuram verborum non satis perspexit, picturae quasi colores augere studuit. Idem ne quis in sono versiculi offenderet, attulit exempla Aen. IV 504 Tibulli I 2, 6 10, 40 Senecae Thy. 686 Silii IV 547. Item de versibus 47—49 libri primi paulo inclementius iudicavit Wagnerus. Nam quod Heynius arguit adversari sibi poetam, cum primum quattuor arationes praeceperit, deinde (67 sq.) tribus contentus sit, non animadvertit, e sterili tellure ne posse quidem 'immensas messes' ullis artibus excitari. Alias quasdam offensiunculas interpretatione removit Reinhardtus in progr. gymn. Hildburgensis a. 1838.

At levi cursu idem Wagnerus transiit sequentia, quae qua laborent difficultate ut demonstrem, praeceptorum inde a v. 43 ordo est proponendus. Primo vere arandum est (43—49), ante omnia tamen caeli solique natura exploranda (50—52), nam alia aliis regionibus proveniunt (53—63). Pingue autem solum ineunte anno invertendum, exile Septembri proscindendum (64—70). Recreantur agri aut cessando alternis annis (71 sq.) aut semine mutato (73—83) aut incendio (84—93). Praeterea aliae sunt rationes, quibus agrorum sterilitatem oppugnat diligens arator: occatio (94—96), iteratio (97—99), irrigatio (104—110), depastio denique (111—113) et colliciarum deductio (113—117). In quibus aequabilitate quadam duo versuum trinorum et septenorum paria coniunxit poeta, quorum initia ita signavit, ut primum *qui* v. 94 exciperet faceret v. 97 *et qui*, in altera parte (104) *quid dicam . . qui* in fronte poneret, cui item v. 111 responderet *quid qui* repetito

etiam v. 113 *quique*. Haec autem cum satis bene se excipere videantur, interrumpuntur versibus alienissimis, qui non ad culturam agrorum, sed ad caeli gratiam omnia referenda esse docent:

umida solstitia atque hiemes orate serenas,
agricolae: hiberno laetissima pulvere farra,
laetus ager, nullo tantum se Mysia cultu
iactat et ipsa suas mirantur Gargara messes.

Certe vel in exordio vel in exitu totius loci talia monenda erant. Quamquam qualia nunc sunt, neque post v. 117 posita satis faciunt neque cum superioribus bene coalescunt. Hiulca enim, ni fallor, ac molesta oratio haec foret: '*illius immensae ruperunt horrea messes* (49). umida solstitia . . . *ipsa suas mirantur Gargara messes* (100—104). ac prius ignotum ferro quam scindimus aequor, Ventos et varium caeli praediscere mores Cura sit' (50 sq.). Et tamen hic solus locus est, ubi sententiarum saltem tenori quodam modo illa respondeant. Quid igitur probabilius statuemus, quam secundis curis hoc additamentum confinxisse Vergilium, sed ad reliqui carminis contextum adcommodare neglexisse? Ladevicum in annal. philol. LXXIII 465 non recte vulgatum textum defendisse in eisdem LXXV 77 demonstrare studui: illius argumenta amplectitur ut solet Tittlerus progr. Brigensis anni 1857 p. 5.

Praeterea in II 371 sqq. vides eadem bis doceri: prohibendum esse a tenera fronde pecus, nam ipsa hiemis duritia solisque potentia magis nocere arboribus ferarum morsum (373—375), *nec* frigora tantum obesse aut aestatem, quantum dentes gregum (376—379). Quoniam autem haec multo dulcius atque uberius fluunt illis, non poterit dubium esse utra minus limatorum loco supponi voluerit auctor. Quid quod Peerlkampus, quem et ipsum ultro hic haesitavisse gaudeo, ne potuisse quidem umquam Vergilio tales versus quales 373—375 sunt, excidere contendit Mnemos. X 148. 379. Quem ita refutare conatus est Ladevicus in progr. Neostr. a. 1864 p. 14 sq., ut tamen se meae nunc coniecturae, quae olim in ann. philol. LXXV 76 sq. contra eum defendenda fuerat, accedere significaverit; probabilem in quartae editionis appendice p. 194 dixit.

In *tertio* libro post pulcherrimam certaminum inter amantes tauros imaginem (209—241) ceterorum animalium exemplis allatis

Digitized by Google

amoris vi confirmata summum in equis furorem erumpere conclusurus erat poeta. Utitur igitur leaenae ursorum apri tigris (245—249), suis (255—257), iuvenis (258—263) exemplis. Sed hinc rursus ad feras repellimur, ut lynces lupos canes cervos eodem studio agitari discamus (264 sq.). An ut ardentiore etiam hos quam homines inflammari intellegamus? digna profecto tanto poeta a iuvene ad lupos et canes gradatio! equidem putaverim brevissimum συναϑροισμὸν optime collocari in finienda bestiarum enumeratione post v. 257. Nec vero minus mirum est quod exemplis, quibus ad equorum amores transitus parandus erat, horum ipsorum tremorem v. 250—254 interpositum legimus, cum tamen postea insignis ante omnis furor equarum describatur v. 266—270.

Quod si equos et equas distingui voluit, tamen non erat cur illi, quorum curam hoc ipso libro docuerat, inter silvarum feras a proposito carminis alienissimas relegarentur. Itaque turbatum versuum ordinem esse conclusi. Sed relictas ab ipso poeta turbas quasdam agnoscere mihi visus sum eo, quod nimis similia de utroque genere praedicantur, non scopulis equos rupibusque retardari, non flumine montes unda torquente (253 sq.), equas autem trans Gargara transque sonantem Ascanium duci, superare montis et flumina tranare (269 sq.). Nam recte apud Servium adnotatum est: 'Gargara pro quibuslibet montibus sicut Ascanium pro quibuslibet fluminibus posuit.' Tam inter se congrua quo consilio poetam composuisse putabimus? Immo alterum versiculorum par in alterius vicem substitui voluit. Atque cum id ageret, ut vento gravidas fieri et hippomanes demittere equas narraret, de harum furore quin etiam in priore editione dixerit, dubium minime est. Unde sequitur, ut secundis curis additos esse de maribus equis versus 250—254 statuamus, quos tamen oblitteratis versibus 269 sq. proxime ante v. 266 collocare debebant amici. Ceterum hic quoque idem, quod ego olim in lectt. Verg. 6, sensit Peerlkampus Mnemos. X 251, scilicet iniucunde repetita flumina et montes versibus 253 sq. et 269 sq., quo tamen ille motus est, ut deletis v. 270 sq. 'superant . . . . continuoque' non profecto iucundum versum efficeret hunc 'Ascanium, avidis ubi subdita flamma medullis', hiatu exemplis excusato, quae nulla esse ipsum criticae textus mei adnotationes edocere poterant. Etiam de versibus 264 sq. post 257 collocan-

dis, ut hominis exemplum sequatur pecudum turbam, mecum sentit Batavus sagacissimus p. 382.

Quarti libri initio inde a v. 8—17 exponitur, in sede apibus eligenda quae caveri debeant, tum (18—32) quae expetenda sint, post (33—46) de aedificandis alveariis. Unde consentaneum est, quae nunc leguntur v. 47—50 de procul habendo acri odore vel sono rectius supra post ventos et pecoris genus omne usque ad v. 17 enumeratum adferenda fuisse. Quod etiam verborum quadam concinnitate probari videtur: nam ut opposita sibi sunt *absint* v. 13 et *at . . . adsint* v. 18 sq., ita ad illud: '*absint* et picti squalentia terga lacerti *pinguibus a stabulis*' (13 sq.) apte adiungitur '*neu propius tectis* taxum *sine*' (47); his autem 'altae neu crede paludi' v. 48 contraria sunt v. 18 sq. 'at liquidi fontes et stagna virentia musco adsint et tenuis fugiens per gramina rivus', porro pro *taxo*, quod v. 47 *abesse a tectis* iubetur, *palma* et *oleaster* quae *inumbrent vestibulum* v. 20 commendantur; denique vitato caeni odore (v. 49) 'casiae virides et olentia late serpulla et graviter spirantis copia thymbrae et violaria' v. 30—32 ut salutaria laudantur. Et cum his rationes quasdam intercedere versibus 47—50 perspexit Schraderus quoque, qui eos post ipsum v. 32 collocari voluit. At si Columellae IX 5 ordine praecepta sua serere voluisset poeta, saltem debebat fortiore quam 'neu' particula periculosa salutiferis opponere.

Minus commode inseri possunt quae ubi apum natura describitur non suo loco posita esse eiusdem Schraderi acumen vidit. Nam postquam v. 191—196 narratum est, quibus cautelis inpendente pluvia utantur, sequentia in mirabili earum prolem ex ipsis floribus herbisque colligendi procreandique ratione versantur. Inde et regem et cives, inde et domus et regna sponte oriri (197—202). Quo fieri ut quamvis singulae exigua vita fruantur, genus tamen sit immortale (206—209). Regem vero summa pietate coli: eo salvo salvam esse rem publicam, amisso labi omnia et susque deque haberi (210—215), eo iubente ipsam mortem fortiter tolerari. Sed interpositos versus 203—205 de discrimine vitae, quod 'amore florum et generandi gloria mellis' incensae subeant, fuerunt quidem qui hoc sententiarum nexu proposito cum vicinis conciliarent: 'colligunt apes generis immortalitatem ex floribus, cui tanto studio operam dant, ut ne ultima quidem pericula detractent'. Nec omnino du-

bium est, quin 'generandi gloria mellis' ad studium illud referenda sit, quamvis et rectius et magis perspicuum '*generandae gloria prolis*' futurum fuisse monenti Tittlero p. 6 adsentiar. Praeterea si de periculis, quae in colligendis floribus subeant apes, dicturus erat poeta, uberiora expectabamus. Idque ipsum formula 'saepe etiam' indicare videtur, quae cum in solis georgicis apud Vergilium legatur, nusquam non ita usurpatur, ut enumeratis pluribus novum quoddam eodem spectans addatur: cf. I 84. 322. 365 III 132. 409 IIII 42. Quo accedit etiam conclusionis gravitas quaedam: '*tantus* amor' e. q. s., qui quantus esset debebat paulo copiosius enarrari. Certe comparata curulis certaminis descriptione (III 112), quae eisdem fere verbis terminatur: 'tantus amor laudum, tantaest victoria curae', exilitas quaedam versuum nostrorum apparet. Deesse autem hoc quidem loco facillime possunt.

Quare alium eis locum Schraderus post v. 196 elegit, ut sane habeat 'saepe etiam' alterum 'saepe' (v. 194) quo referatur. At quae amore florum abreptae errando in cotibus mortem obeunt, videntur tamen ultra tutos fines longius a tectis recessisse, ut cum eis, quae ne venti impetu auferantur et brevitate excursus et lapillis cavent, componi non possint nisi hac mente: ne sic quidem eas semper incolumes a tempestate servari. Hac autem sententia *saepe etiam* recte se habere, non *saepe tamen* vel *sic etiam* dicendum fuisse vellem docuisset Tittlerus, non adseveravisset. Denique totus locus inde a v. 191 quoniam non eo spectat, ut quantum sit apum in labore peragendo studium, immo quanta prudentia iniquo tempore parcant sibi cognoscatur, non satis apte concluditur v. 205, nec si invitae venti violentia in aspera loca delatae perierint, laudem omnino mereantur. Sed ne sunt quidem invitae delatae, quae '*ultro* animam sub fasce dedere'.

Itaque reicienda Schraderi ratio, quam non video Tittleri disputatione p. 6 magis firmatam esse, et videndum an haec possint componi: 215 'ille operum custos, illum admirantur, et omnes Circumstant fremitu denso stipantque frequentes, Et *saepe* attollunt umeris et corpora bello Obiectant pulchramque petunt per volnera mortem. *Saepe etiam* duris' e. q. s. Quamquam vel sic ad venerationem regis non possunt nisi artificio quodam referri, ut intellegantur haec: 'amisso rege omnia perdunt ac

3*

diripiunt, at salvum ut et defendant bello et opibus augeant vitae ipsi minime parcunt.' Quae concludenda erant velut hac sententia: 'tantus amor rerum et ditandi gloria regis', non ea quam v. 205 legimus.

Multo quidem aptius hi tres versus in extremo aliquo de mortis causis, quibus apes subiectae sint, capite ponebantur: ita certe *ultro* illud commode explicetur atque etiam 'sub fasce' morientes satis ample defunctorum in tecto agmen claudant. Sed de morbis earum versibus 251—280 ita praecipitur, ut inserendi vel addendi locus nullus pateat. Erunt igitur fortasse qui ut nuper Ladevicus Wagneri coniecturam probare malint in Philologi supplem. I p. 375 prolatam, qua post v. 183 versus nostri collocari iubentur: neque enim incommode ibi leguntur, quamquam ne sic quidem illud 'saepe etiam' habet alterum 'saepe' quo referatur.

Paucis deinde de divina apum origine disputatis ad messis tempora rationesque explicanda transgreditur poeta. Docet autem primum, quo artificio (228—230), deinde quasi parenthesi interposita quibus anni temporibus mella ex favis promenda sint (231—235), tum demum commemorat, quanta ira copias suas apes defendant (236—238), ita quidem ut nulla hi tres versiculi ratione vel cum eis quae antecedunt vel cum sequentibus videantur coniuncta esse. Itaque ut causam, cur cantelae illae adhibendae sint, continentes hos rectius post v. 230 collocari idem ille Schraderus olim perspexit.

Sed non minus certum est, postquam novem versibus (239—247) de purgandis alveariis expositum est, parum concinne ad messem nos revocari versibus 248—250, praesertim cum quae secuntur de morborum remediis artissime cum suffiendi ratione cohaereant. Erant haec, quibus fortiter ac plene exhauriri mella iubentur, eis anteponenda, quae sic incipiunt: 'sin duram metues hiemem parcesque futuro Contusosque animos et res miserabere fractas' (239 sq.), quorum ultima bene respiciunt ad 'generis lapsi ruinas' (249). Ceterum etsi ordinem, quem sibi proposuit poeta, sic satis recte restituisse mihi videor, tamen offendit sententiarum quaedam adglutinatio magis quam compositio. Nam cum necti sententiae possint vel hoc ordine: 1) 'bina messis tempora sunt (231—235), *sed* si mella relines, cautio adhibenda (228—230), quod irritatae apes mordent (236—238). qua *tamen* ira cave ne te deterreri patiaris; nam quo magis' e. q. s. (248—250); — vel

hoc: 2) 'bina messis tempora (231—235): *ac* ne a messe facienda eo deterrearis, quod irritari apes animadvertis. verum est vehementer eas irasci (236—238), *sed* quo magis exhaustae fuerint e. q. s. (248—250). modo ut caute relinas mella (228—230)'; — vel hoc: 3) 'siquando mella relines, fumos praetende (228—230). sunt scilicet bina messis tempora (231—235), *quae ubi venerunt*, illis (apibus) ira supra modum est (236—238). sed haec non metuenda, nam quo magis' e. q. s. (248—250); — vel denique hoc quem in textu expressi: 4) 'siquando mella relines, fumos praetende (228—230), nam mordent irritatae apes (236—238). sunt autem bina messis tempora (231—235), quibus fruaris oportet: nam quo magis' e. q. s. (248—250) — utique vides vinculis necessariis nimis carere orationem. Leniora omnia et iucundius coniuncta quamquam minus plena efficiuntur omissis bis ternis versiculis 236—238 et 248—250. Hos igitur secundis curis additos nec satis concinne cum ceteris conciliatos esse statuo. Et laetor idem de toto loco 228—250 coniecisse Tittlerum p. 11, cui nuperrime Ladevicus quoque adstipulatus est. Peerlkampus quoque p. 286 versus 248 et 250 ante 239 collocavit: idem tamen quod 249 spurium censet, non adsentior, nec satis intellego quid ridiculi in verbis 'generis lapsi sarcire ruinas' indagaverit. Si enim generatur mel (v. 205), exemtis ac recisis favis genus imminui et ad ruinam redigi liquet, ut replendis rursusque struendis cellis sarciri ruina recte dici videatur. Apud Servium quod versuum 248 —250 mentio nulla fit, nec neglegendum est nec nimis urgendum.

Contra longe reicienda Hanovii opinio est, qui (p. 13 sq.) huius libri vv. 184—187 quos ipse venustissimos praedicat, eliminandos esse duxit quasi secundis curis a poeta eo consilio confectos, ut postea mutatis aliis aut resectis in textum reciperentur. Duas scilicet 'descriptiones ad eandem rem pertinentes confluxisse et conglutinatas esse altera in alteram inscite inserta.' At non poeta, sed Hanovius ipse confusionis auctor est. Nam primum v. 183 '*omnes*' intellegere omnes iuniores, qui 'victu invigilant et foedere pacto exercentur agris', prudens proxime antecedentium versuum 180—183 lector, qui Latini sermonis consuetudinem didicerit, nullus dubitabit. Reliqua autem sententia additis prosae orationis vinculis haec: his omnibus ut labor unus colligendi, ita quies operum una; simul enim omnes mane evagantur, simul pascuntur in agris, simul vespertino tempore corpora curantes,

h. e. quieti corpora daturae (nam quae curant nondum necessario statim fovent corpora) redeunt, iamque reversae primum quidem sonitu laetiore, mox mussantes circumstrepunt oras, donec in alveum ingressae sensim silescunt et obdormiscunt. Haec autem communi quadam disciplina vel certa lege ab omnibus illis, quarum laborem vv. 180—183 descriptum legimus, simul fieri ut significaret poeta elegantissimos versus addidit. Nec est profecto cur in eo haereamus, quod ubi studium et assiduitatem describere instituit, v. 180 *multa* demum *nocte* fessas se domum referre, paulo post, ubi id agit, ut eodem omnes tempore et proficisci et redire doceat, tum tecta petere narrat, ubi admonuit *vesper* (186). Quae ne sunt quidem diversa: nam admonitae sine ulla mora relicto pastu domi adesse minime dicuntur. Grandaevas autem, quae 'intra saepta' manserunt, quieti nocturnae et ipsas indulgere cur molesta diligentia narretur?

De apertis turbarum vestigiis, quae in vv. 289—294 libri exhibent, testatus sum in adnotatione critica. Itaque qui vulgatum ordinem rudemque triplici *et* particula adnumeratorum membrorum structuram defendere, qui post 'stagnantem' Nilum (288) 'ruentem' v. 292, quem saltem 'fluentem' dici debuisse recte adnotatum est, tolerare volet vel emendatiunculis, quales Tittlerus p. 8 proposuit, hanc scabritiem poliri sibi persuadebit, suam sibi artem ille habeto. Mihi, qui olim varia temptantis poetae conamina agnoscere mihi videbar, nunc Peerlkampi p. 289 sqq. disputatio fere persuasit, indignos eodem esse versus 291—293, quorum primum iam Cerda et nostro tempore Ferdinandus Hitzig mus. Rhen. XV 324 sq. interpolatum esse indicavit. Idem vir orientis gnarissimus v. 290 *Putidis* commendavit, qua tamen coniectura non defenditur versus a Peerlkampi reprehensione, cui *urguet* maxime displicet.

Item (ut IIII 236—238. 248—250) tres versus III 37—39, omissi illi etiam in uno codice Meadiano, emblematis speciem prae se ferunt. Nam post Caesaris proelia et triumphos et maiorum splendidum ordinem furiae et Cocytus et poenae inferorum mireris sane quid sibi velint: nisi forte 'invidia infelix' inimicorum Caesaris intellegatur Tartari terroribus moneri, ne adversus deos deorumque prolem peccet. Sed talia simulacra ubi aptius quam in ipsis foribus expressa finxeris? Nihilo tamen minus post Parios lapides spirantia signa (34—36) commemorantur, quasi et ipsa mar-

more sculpta dicantur. Nam quod Vossius imaginem in pariete pictam significari narrat, verborum quidem ne tenuissimo quidem indicio aliis mortalibus proditur. Praeterea autem notatu digna Palatina lectio METVENS v. 38, quam interpolatione alteri METVET substitutam esse nemo suspicabitur, quia hac demum plenum absolvitur enuntiatum: immo probabilius conicias hoc coniectura ortum esse, ut in codice *b* vocis *metuet*. litteras *uet* in litura scriptas reperimus. Atque sublimius etiam poeta ipsam Invidiae figuram deiectam in Tartari tenebras ibique inter pallidas umbras versantem laetissimis Caesaris triumphis in eadem tabula opposuisse statuitur. Quid igitur si post v. 33 talem imaginem inseri voluit:

Invidia infelix furias amnemque severum
Cocyti metuens tortosque Ixionis anguis
immanemque rotam et non exsuperabile saxum

— incohatam illam, non absolutam? Ceterum non interpretatur haec Philargyrius, inepte autem et Servius et Probus qui circumfertur statuerunt obtrectatoribus suis poetam inferorum poenas comminari.

Mirum sane, ternos saepius versiculos vel falso loco inlatos vel postea additos deprehendi. Diximus de III 37—39 IIII 236—238, 248—250. Etiam in secundo totidem versus 343—345, qui concludunt pulcherrimas verni temporis laudes, dubitare possis an commodius ut intellegantur futurum sit, si v. 335 excipiant, ut qualis sit labor planius fiat et ad austros et aquilones propius respiciat v. 344 'tanta quies', hoc scilicet ordine:

inque novos soles audent se germina tuto
credere, nec metuit surgentis pampinus austros
aut actum caelo magnis aquilonibus imbrem,
335 sed trudit gemmas et frondes explicat omnis.
343 nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
si non tanta quies iret frigusque caloremque
inter, et exciperet caeli indulgentia terras.

Et hinc eo progredi poterat poeta, ut etiam mundi originem verno tempore fuisse coniceret, qua splendida imagine aptissime totus locus concludebatur. Sed quominus auderem textus ordinem traditum mutare, dissuasit primum quod non de herbis tantum et stirpibus dicitur, sed de '*rebus* teneris', ut a nascentium rerum condicione, quae v. 336—342 tractabatur, ad ea quibus

Digitized by Google

natis et creatis, ut durarent hunc vitae laborem, opus fuerit transiisse videatur poeta. Quae est Vossii interpretatio. Sed tamen haesito in abrupta quadam breviloquentia, qua non satis plene finiri locum splendidissimum sentio, ut additos hos quoque versus 343—345 curis secundis, alios autem etiam addendos et maxime praemittendos fuisse si quis coniciat, nolim equidem contradicere.

Ternarium porro versuum III 120—122 numerum post v. 96 inserendum esse persuasit et mihi et Ladevico Tittlerus, nec nimis ab eius iudicio discrepat Ferdinandi Hitzig in mus. Rhen. XV 323 sq. inserta de eodem loco disputatio, quem hic minus commode meo sensu ante v. 95 reponi iubet. Atque eandem post v. 96 transpositionem versuum 120—122 necessariam esse Peerlkampus quoque intellexit p. 236. 280, si quidem in 'nec turpi ignosce senectae' verbis negari ignoscendi notionem, non, ut ipse mavult, turpitudinem senectae statuatur. Hunc autem sententiarum nexum satis explanavit Tittlerus p. 9.

Idem porro vv. 113—119 post v. 102 collocari suasit, haud male, quamquam persuadendi necessitatem adesse non contenderim. Sed vividam certantium equorum imaginem multo venustius in versum 112 exire: 'tantus amor laudum, tantaest victoria curae' quis non sentiat?

Nec primi libri v. 204—310 tales, quales nunc in libris legimus, ipsum Vergilium edidisse puto. Ac primum v. 252 'hinc tempestates dubio praediscere caelo possumus' e. q. s. non poterant ex tractatu de quinque zonis pendere: 'hinc' enim nihil aut de tempestate aut de serendi tempore discitur. Discitur tale quid ex signorum obitu et ortu et ex quattuor anni temporum discrimine: ergo ante v. 252 posui v. 257 sq., qui, cum inde a v. 259 doceatur agricola non quibus signis futurum imbrem praevidere, sed quae opera per imbrem absolvere possit, cum his nulla ratione coniuncti sunt. Atque haec de agricolae per imbrem operibus ibi demum satis apte inseruntur, ubi post nocturna aestatis 287—290 hiberna negotia cum gaudiis absoluta sunt v. 310. Hic insertis praeceptis de singulorum dierum, 'frigidus agricolam si *quando* continet imber', operibus apte ad tempestates earumque signa transitus fiebat. Inde autem sequitur, ne rectius quidem ordinatos versus 257 sq. 252—256 suo loco stare. Atque ut observaret sidera iam v. 204—207 monitus erat agricola. Age comparemus utrumque praeceptum:

204 praeterea tam sunt arcturi sidera nobis
haedorumque dies servandi et lucidus anguis,
quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
pontus et ostriferi fauces temptantur Abydi.

---

257 nec frustra signorum obitus speculamur et ortus
temporibusque parem diversis quattuor annum:
252 hinc tempestates dubio praediscere caelo
possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
et quando infidum remis impellere marmor
conveniat, quando armatas deducere classis,
aut tempestivam silvis evertere pinum.

Poteris sine ullo carminis detrimento, immo emolumento non nullo ante v. 208 in quattuor qui antecedunt versuum 204—207 locum substituere septem quos ex adverso posuimus. Nam scrupulosior qui sit mirari possit, cur tandem et quas ad res haedos potissimum et anguem omnino servandos praeceperit, qui mox ubi singula exponit praeter booten, quo commemorato ad 'arcturi sidera' respicere videri possit, omnia alia signa, libram taurum pleiades coronam, enumerat quidque valeant docet. Porro quid omnino ex siderum observatione discere possint agricolae, paulo planius et copiosius altero loco illustratur: nautarum autem utroque mentio fit.

Optime inde procedunt quae de satione leguntur a v. 208 usque ad 230. At tum secuntur v. 231:

idcirco certis dimensum partibus orbem
per duodena regit mundi sol aureus astra;

et deinde de zonis praecipitur usque ad v. 251. Idcircone, ut viciam seras vilemque phaselum? (v. 227) vel ut sementem ad medias extendas prulnas (v. 230)? Et zonis quid tandem cum satione commune est? Idcirco nimirum astra per caelum disposita putabis, ut inde tempestates praediscere possis et quae v. 253 sqq. secuntur. Zonas autem non video quo consilio poeta describere potuerit alio nisi ut duodena illa astra per zonas disposita esse doceret. Itaque expectamus ut enumeret ea, sed arctos tantum et anguem commemorat v. 244 sq. Poterat autem haec omnia omittere, ut non absurda videatur suspicio, ab ipso edita esse haec: 204—207. 208—230. 276—286. 287—310, retractato postea hoc quoque loco relicta esse in schedis haec: 231—251. 252—256. 257 sq. 259—275; in his nondum absoluta fuisse

Digitized by Google

233—251 et 259—275, ceterum omnia sic fere in textum inserenda fuisse, ut omissis 204—207 se exciperent haec: 257 sq. 252—256. 231 sq. 233—251. 208—230. 276—286. 259—275. 287—310. Pergebat igitur a signis duodecim ad lunam, inde ad solis vices.

Sed ne sic quidem omnia satis plana. Nam quod v. 287—290 multa velut pratorum tonsuram melius gelida nocte fieri monemur, spectat hoc aperte ad noctes aestivas: his igitur recte opponas quod de caedendi et terendi frumenti tempore opportuno breviter significatur v. 297 sq. Ubi merito Peerlkampum p. 375 offendit mirum et contrarium consuetudini praeceptum 'at medio rubicunda Ceres succiditur aestu.' Quae G. Hermannus quoque olim adnotaverat (v. Meinekii supplem. adn. 480) non satis convenire cum Theocriteis his X 49 sqq.:

> *σῖτον ἀλοιῶντας φεύγειν τὸ μεσαμβρινὸν ὕπνῶν·*
> *ἐκ καλάμας ἄχυρον τελέθει ταμόσδε μάλιστα.*
> *ἄρχεσθαι δ' ἀμῶντας ἐγειρομένω κορυδαλλῶ*
> *καὶ λήγειν εὕδοντος, ἐλινῦσαι δὲ τὸ καῦμα.*

Itaque probo quam Peerlkampus proposuit emendationem:

> *nec* rubicunda Ceres medio succiditur aestu,
> *at* medio tostas aestu terit area fruges

hosque versus statim post v. 290 adnectendos censeo.

Iam quae secuntur v. 299 'nudus ara, sere nudus; hiems ignava colono' apparet non ad diei, sed ad anni tempus eligendum spectare et ad hiberna opera transitum parare, de quibus v. 300—310 dicitur, hisque vel post v. 310 vel ante 305 apte adiungas v. 291—296.

Illa autem, quae 'frigidus agricolam si quando continet imber, maturare datur' quaeque festis diebus exercere licet (259—275), ad aestatis potius quam ad hiemis negotia pertinent (cf. v. 260), sed vinculo quo cum aliis copulentur prorsus destituta sunt, ut certum eis locum adsignare difficile sit. Nam quae hiemis opera post v. 310 secuntur auctumni tempestates et sidera tempestatumque signa tam inter se nexa et coacta usque ad extremum librum decurrunt, ut intrudendi alia nulla omnino appareat occasio. Ergo non mirandum quod ne amicis quidem schedas a poeta relictas probabiliter ordinare contigit.

Ceterum scripseram haec, cum Hanovium quoque vidi in sched. crit. p. 7 sqq. frustra in hoc loco laborare, nisi quod et

ipse intellexit vv. 252—256 rectius initio capitis poni, ubi tamen una cum quattuor vv. 204—207 nullo modo possunt tolerari. Verum quod animadvertit genuinum ordinem videri 'indicari vocabulis *multa* v. 260, *quaedam* 268, *multa adeo* 287, id quidem videbit a me quoque observatum esse. Sed quae a dierum certorum indole ad subsceiva opera transitum paret sententiam nihilominus desidero.

Fortasse ea quoque, quae a textu genuino aliena esse Ferdinandus Hitzig in mus. Rhen. XV 321 demonstrare studuit, libri III 82 sq. adnotatione quadam retractantis sua poetae inlata sunt. Nam melius placere generosi pulli descriptionem non interruptam colorum distinctione ipse confiteor, sed ut ne ea quidem, quae Hitzigius servari voluit 'honesti spadicis' ad 'pectus' relata probem, sed anticum exitum v. 81 et 83 initium inserta notula illa intercidisse putem.

Item secundis curis addita conieci I 173. 175, quorum ipse turbatus ordo de marginali nota suspicionem confirmat.

Quarti libri v. 276, cui scabri aliquid esse Peerlkampus quoque p. 288 sensit, defendi possit, si recepta vel Burmanni 'deum hinc nexis' vel Peerlkampi 'ornat de torquibus aras' coniectura post v. 278 collocetur. Sed malui non mutatum uncis includere, sive quis interpolationem sive pannum ab ipso poeta secundis curis adsutum habebit.

At inprobabilem Tittlerus opinionem in progr. Brigensi p. 12—21 hanc protulit: solos libros I et II ante annum 724 ab ipso poeta editos, absolutos et Maecenati quidem atque adeo Augusto traditos anno 725 etiam tertium et quartum, publici tamen iuris numquam factos esse, ut in quibus perpoliendis coactum scilicet Maecenatis iussu undecim annos usque ad mortem auctor desudaverit, ita quidem ut cum primo tertii libri prooemium tale constituisset 1—8 (acer equis), 40 (dryadum) — 48, postea resectis 1 sq. 46—48 in Augusti honorem v. 3—45 panxerit.

Quae cur non placeant, ut olim in emendatt. Verg. p. 1 sq. significavi, ita hic brevissime repetam. Hanc enim loci illius, in quo examinando mire argutatus est homo doctus, summam esse video 'Expositis plantarum rationibus de pecore quoque et de pascuis dicam. At iuvat talia canere, quae poetarum turbae intacta sint, piget autem in silvam ligna adferre. Nam id mihi proposui, ut victor ceterorum ex multitudine elatus ipsum verticem

Heliconis ascendam, unde palmam poeticae laudis patriae meae referam. Hac ornatus aeternae gloriae monumentum in patria ponam.' Quod indulgens ingenio fingit templum marmoreum esse, ut suam patriaeque laudem ex ipsa Caesaris laude pendere cumque ea coniunctam esse poetica usus imagine moneat. Nam nihil est quod Aeneidis poema templum illud esse statuit Tittlerus, corradens ille ex epico carmine locos qui cum his poetae promissis aliquo modo viderentur convenire. Itaque versus 26 sqq. spectare docuit ad Aen. VIII 675 — 728 sqq. Sed hic primum quaeram, cur tandem octavum librum fores dixerit vates noster v. 26. Praeterea etiam in clipeo illo nihil nisi Actia bella et triplicem triumphum Caesaris posuit: ubi igitur pugnam Gangaridum et Parthorum tropaea reddita et Quirini nomine ornatum principem et cetera, quae ad res post a. 725 gestas pertinere putat, commemorata celebrataque esse docebit Tittlerus? Quae si recte demonstravimus non ultra annum illum egredi, certe non possunt argumento esse, prooemii huius partes quasdam secundis curis additas esse. Porro Assaraci proles Trosque parens (35 sq.), quorum spirantia signa se in templo positurum esse vovet poeta, in Aeneidis VI 648 paucis versiculis tanguntur, mox a v. inde 756 Dardani prolem a Silvio orsus excitat, cuius agmen claudit Augustus 792. Prope ridicula autem ad Catilinam in clipeo Aen. VIII 669 sq. expressum, si dis placet, et ad inferorum descriptionem VI 566 sqq. allusio in v. 37—39 investigata est, quasi Augusto invidisset Catilina, cuius Iulius pater ipse tantum non socius fuerat, quasi denique haec omnia Aeneidis vel umbram exiguam repraesentarent. Eodem fere iure contendere possis, promisso v. 18 sqq. cursus et caestus certamina se instituturum esse stetisse poetam Aen. V 291 sqq. et 362 sqq. ludorum narratione.

Quid tamen Britannis faciamus (v. 25) nescio. Mihi legenti v. 46—48 dubium non est, quin eo tempore, quo tertii libri prooemium idque integrum composuit, poeta in animo vel habuerit vel habere se simulaverit, ipsas Caesaris res gestas, id quod hic et optabat et iubebat, proprio carmine describere, quod consilium postea ita mutavit, ut non tam προηγουμένως (ut Probus p. 59, 3 ait) ardentis imperatoris pugnas, h. e. minime, ut Tittlerus voluit, nondum depugnatas, sed ipsa proeliorum fulmina modos eventusque, quam avitam Iuliorum gloriam Augusti merito cumu-

latam et Romanae simul urbis et novi Quirini originem (cf. Donat. p. 59, 12) celebraret. Videtur enim mere historici carminis materia etiam tunc offensus esse, sicut olim cum incohatis sive Romanis, ut Donatus p. 59, 21, sive regum Albanorum rebus, ut Servius ad ecl. VI 3 narrat, deterritus vel 'nominum asperitate' vel annalium vastitate ad bucolica transiit scribenda.

Itaque non nego poema, non tamen Aeneida, sed de rebus Caesaris Vergilium tum cum prooemium illud scriberet meditatum esse et templi imagine quodammodo adumbravisse et allegoriam ipsum vv. 46—48 explanavisse, scilicet ut promissum gravius etiam confirmaret. Ut ne Peerlkampus quidem l. l. p. 232 horum versuum fidem mihi labefecerit. Nam 'ardentes pugnas' ipse Valerii Flacci VI 601 exemplo satis firmavit. Praeterea si Latinum est 'fert poeta nomen Caesaris per orbem', quidni dixerim 'per omne aevum, per omne temporis spatium'? anni autem a prima Tithoni origine profecto innumerabiles sunt.

Ceterum totum quattuor librorum opus una prodiisse tam prima (I 1—5) quam extrema (IV 559—566) eius verba abunde testantur, ab ipso autem et emendatum et editum esse adfirmant veteres, ut non possit excogitari quod omni memoriae et probabilitati magis adversetur quam Tittleri coniectura. Ne autem in refutanda de secundi libri versibus 39—46 opinione eiusdem p. 18—20 prolata (qua Vergilius Maecenatem ut poetam se ipso maiorem suspicere fingitur) amplius immorer otium facit Peerlkampi acumen, quo is p. 138 coll. Nemesiani Cyneg. 58 sq. versum 41 correxit. Transposito enim post v. 42 et mutato *da* in *dare* haec effecit:

tuque ades inceptumque una decurre laborem,
40 o decus, o famae merito pars maxima nostrae.
42 non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
41 Maecenas, pelagoque volans dare vela patenti,
43 non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea vox. ades et primi lege litoris oram;
in manibus terrae *e. q. s.*

Quae qui libero animo leget, ipse persentiet, quam inepta fuerit vulgata lectio et quam recte nunc pelago patenti primi litoris ora opponatur e. q. s. Ut cum Ladevico sperem Hanovium quoque sic emendata poetae relicturum esse, quamvis in schedis

Digitized by Google

criticis p. 10 sqq. verba 'pelagoque . . . . . . vox' (vv. 41—44) damnaverit.

Quem idem laudo quod totum locum, quo Maecenas invocatur (v. 39—46), vidit (l. l. p. 9 sq.) multo aptius statim ipso libri principio post v. 8 Bacchi appellationi adiungi. At quattuor qui antecedunt versibus 35—38 quid faciamus? Cohaerere enim vv. 22—34 cum 47—82 et rebus et verbis apparet. Docet poeta praeter naturae modos diversos usum quoque varias procreandi et corrigendi arbores vias artesque repperisse, inter quas insitio maxime memoratur: malis enim insitis pirum, prunis corna mutari (v. 33 sq.), etiam silvestres arbores, quae sponte nascuntur, inserendo feraces fieri (v. 47 sqq.), denique arbutum quoque et platanos et castaneas et ornum et ulmos aliis inseri frugibus (v. 69—72), unde ipsi inserendi et oculos imponendi modi praecipiuntur vv. 73—82. Atque haec ut re coniuncta ita verbis quoque apta invicem sunt: respiciunt enim haec 'tamen *haec quoque* siquis inserat' e. q. s. (v. 49) ad pirum et corna, de quibus vv. 32—34 sermo fuerat. Iam cur tandem inter haec potissimum, ne de Maecenatis invocatione dicam prorsus hic inepta, agricolae 'Ismara Baccho conserere' et 'olea magnum vestire Taburnum' iubentur (vv. 35—38), cum tamen nec vini nec oleae memoria in hoc quidem capite fiat? Nam quae illis antecedunt praecepta 'proprios generatim discite cultus' (v. 35), 'fructusque feros mollite colendo, neu segnes iaceant terrae' (v. 36 sq.) spectant sane aliqua ex parte ad mutandas et emendandas fruges arboresque, sed immiscent alia nova, suum cuique generi cultum nec segnem relinquendum esse vel asperrimum agrum, quae cur particula *quare* commendentur non intellego. Non unum ulmis olivis pomis vitibus, ut mittam cetera, genus esse demum inde a v. 83 ('praeterea genus haut unum') usque ad 108 exponitur. Post haec ergo recte sequebatur adhortatio: 'quare agite o proprios *generatim* discite cultus, agricolae, fructusque feros mollite colendo' (v. 35 sq.), quorum posterius iam optime respicit ad integrum caput quod vv. 22—34 et 47—82 comprehenditur. Quae vero adduntur '*neu segnes iaceant terrae*' e. q. s. egregie transducunt lectoris animum ad haec quae statim v. 109 monentur: '*nec vero terrae ferre omnes omnia possunt*', unde continuo flumine decurrunt quibus 'divisas arboribus patrias' (v. 116) esse demonstratur usque ad v. 135. Inde Italiae secuntur

laudes (vv. 136—176), postea vero prorsus novum de 'arvorum ingeniis' caput orditur. Ergo reddendi suis locis unde nescio quo casu sive librariorum neglegentia sive quod verius puto ipsarum poetae schedarum turbis depulsi sunt 35—46 ita quidem ut 35—38 post 108, 39—46 post 8 collocentur.

Redeo ad Peerlkampum, quem quod l. l. p. 135 ad ipsum libri primi exitum post v. 514 transponi voluit v. 498—502 corrupisse et dilacerasse eximiam loci pulchritudinem cum Ladevico l. l. p. 15 sentio. Item Heynium erravisse quod inversum in Longob. Pierii codice versuum IIII 546 sq. ordinem probavit, iam pridem Vossius intellexit, qui tamen Zulichemiani et Lenguiciani coniecturam *revisens* spernere debebat. Nam id ipsum agitur, ut Inferiis placetur Eurydice, et placatam esse in luco ex prodigio comperit Aristaeus, placatae autem gratias agere iubetur caesa vitula. Itaque dubitari nullo modo potest, quin ultimo versu 547 quid ut efficiatur sacris illis futurum sit promittat Cyrene.

Recte contra Schraderus singulos versus IIII 369 sq. transposuit, quo factum ut Italiae flumina tria coniuncta enumerentur, Hypanis autem cum Caico externorum, maxime barbarorum agmen claudat.

De libri tertii exitu inde a v. 534—566 ita disputavit Peerlkampus, ut nec persuaserit non a poeta relictos esse, quos et librorum omnium auctoritas et partim grammaticorum testimonia tuentur, nec immerito multa vituperavisse videatur. Quorum tamen nihil fere ita comparatum esse video, ut non possit aliqua ratione excusari, quaedam vero a criminibus viri docti satis certo videntur defendi posse. Velut recte usurpatum esse censeo v. 534 'rimandi' verbum de minuto singulas glebulas rastro confodiendi et vertendi labore, quo opus est postquam aratrum destituerunt boves; quamquam Taciti hist. II 29 locum, ubi quaerendi causa milites humum pilis et lanceis rimari dicuntur, minus apte Ladevicus l. l. p. 20 contulit. Postea v. 541 duo quasi monstra miratur poeta, primum immensi maris quoque prolem contagio ceterorum animalium tactam esse, deinde natantium et libere per undas versantium piscium genus quasi submersum fluctibus et naufragum ad litus appulsum. Excusavit haec atque alia Ladevicus l. l. Alia Vossius satis recte explicaverat. Nec dubitandum quin Seneca Oedipi poeta (cf. Verg. 539. 544 sq. 551 sq. cum Oed. 149. 152 sqq. 160 sqq.), Ausonius centonis nuptialis auctor (v. 20 coll. Verg. 539), Macrobius eadem legerint quae nos.

Digitized by Google

Itaque non negaverim talem, qualem nunc habemus, a Vario et Tucca editum esse georgicon librum tertium. Sed num eadem in priore editione ab ipso Vergilio curata extiterint, alia quaestio est. Pulcre enim, ni fallor, concludi poterat pestilentiae descriptio sententiis 520—530, quibus ultro coortam nec aut segnitie aut luxuria, quali homines pereunt, contractam pecorum tabem molliter queritur poeta, qui et primum et secundum librum querellis de suae aetatis hominum vitiis et libidinibus finivit. Postea ludens curis secundis potest quaedam amplificavisse, itaque ad relicta opere in medio et destituta aratra v. 519 adiunxisse v. 534—536 '*ergo* aegre rastris terram rimantur' e. q. s., quae tamen si in ipsum textum inseri voluisset, versus 520 sqq. omittere debuisset. Item boum defectum postea illustravit v. 531—533, qui quamquam non satis conexi cum ceteris ubi hodie leguntur saltem non turbant ordinem. Hinc autem eo processit, ut silvarum etiam feras et maris prolem et angues tam terrestres quam marinas et aves denique morbo correptas memoraret, enumerationis diligentia illa quidem, quam fateor Seneca et rhetore magis dignam videri quam perfecto poeta. Nam satis apte ad illa 'quid labor aut benefacta *iuvant?* (525)... frondibus et victu *pascuntur* simplicis herbae' (528) e. q. s. usque ad 530 accedunt haec: 'praeterea nec mutari iam *pabula refert*' (548) e. q. s. Et his opposita sunt sequentia 551—566, quae firme cohaerent, nisi quod 554 sq. nescio cur immixti sint. Nam balatus et mugitus commemoratio post languentium morientiumque pecorum descriptionem, quae ad v. 517 usque legitur, non potest non taedium movere nec placent amnes ovium et boum clamoribus sonantes. Itaque hos duos versiculos si quis Vergilii non esse contenderit, non ausim defendere.

Ceterum amici Vergilii relictas schedas eo ordine composuerunt, qui solus aliquatenus tolerari posset, si quidem uno tenore omnia comprehendenda essent. Quod sentiet qui transponendi periculum fecerit. Eiectis quidem his illis duplici modo finiri poterat liber vel sic

519. 534—536. 531—533. 537—547.

vel sic

519. 520—530. 548—550. 551—553. 556—566.

Caput IIII.
De interpolationibus georgicon.

Atque alia quoque cavendum ne poetae manum habeas quae lusit *interpolator*. Non dico illam ad I 299 parodiam obtrectatoris, quae in nostros libros non transiit. Nympharum quoque nomina IIII 338, quae ex Aen. V 826 irrepserunt in deteriores libros, desunt in *MPR* nec a Servio legebantur. Sed in Orphei fabula post IIII 472 temere repetiti ex Aeneidis VI versus 311. 310. 312 in codice Romano. Nec suspicione caret cuius simillimum in Aen. VI 783 exemplum redit secundi libri v. 535, quem Peerlkampus l. l. p. 162 et 380 vel eiciendum vel ante 534 collocandum censet. Deest in Mediceo saltem et in scholiis Servianis nec ab ullo scriptore vetere commemoratur versus II 433, quo *PR* inquinati sunt, tamen ut interpolationis indicium aliquod Romanus quoque inverso antecedentium versuum 431 sq. ordine servaverit. Absurdum enim est quaerere 'et dubitant homines . . . inpendere curam?', ubi commendantur quae sine omni hominum cultura, ubi semel sata sunt, sponte, 'non rastris hominum, non ulli obnoxia curae' crescunt. Adhortari autem ut talia potissimum serant agricolas poetam extrema demum huius loci parte decebat, ubi tamen pulchriora posuit v. 454 'quid memorandum aeque Baccheia dona tulerunt?' e. q. s. Quamquam et Peerlkampus p. 154 et Hanovius sched. crit. p. 10 omnino repudiaverunt vv. 454—457, quos tamen scriptos a poeta esse nullus dubito. Nam studet poeta arborum culturam prae vinetis popularibus commendare: eo consilio queritur, curandis vitibus numquam satis laboris posse inpendi (v. 397 sqq.) nec umquam totum per annum finiri, et iam maturis uvis metuendum Iovem (v. 419); contra et oleas et poma et nemus omne ipso naturae beneficio coli. Vt igitur v. 425 suadet '*hoc* pinguem et placitam Paci nutritor olivam', ita ceterarum quoque arborum pretia in fine totius capitis extolli consentaneum est. Nec verendum erat ne dei numen violare videretur, si periculosa esse Baccheia dona

moneret, nisi forte Horatius quoque impius dicendus est, quod postquam 'nullam' inquit, 'Vare, sacra vite prius severis arborem', tamen Centhaureae cum Lapithis rixae gravem mentionem fecit.

Futtilem post 503 versum IIII 506 et vel repetito in sequenti v. 507 *illum* pronomine suspectum merito repudiavit Heynius. Ac reiecit Peerlkampus etiam v. 504 sq., quorum sane in commentariis nulla fit mentio. At Donati et Macrobii testimoniis diffidendi causas non idoneas protulit. Quod autem evanescentis Eurydices verba non finita, sed quasi in auras dissolvi legimus v. 498, artem poetae, non textus labem agnoscimus.

Praeterea in primo libro, ubi exponitur quo consilio humanos labores Iuppiter instituerit, scilicet 'ut varias usus meditando extunderet artes' (v. 133), et duorum sequentium versuum fastidiosam conformitatem et in exitu consonantiam 'extunderet artis, quaereret herbam, excuderet ignem' et ignis potissimum mentionem tanta insuper repetitae *ut* voculae vi statim iniectam merito miraberis. Nam ceterae quidem artes, ut naves aedificandi (136), stellarum cursum observandi (137 sq.), venandi (139 sq.), piscandi (141 sq.), fabricandi ad vitae usum instrumenta (142 sq.), in sequentibus deinceps tanguntur: tum demum ad Cereris institutа transitus paratur (145 sqq.). Neque aut corrigendo '*ut* sulcis . . . *et* silicis' removentur vitia illa aut Wagneri, qui v. 135 in margine a Vergilio adpositum fuisse suspicatur, artificio satis excusantur. Qui si ascripsisset versum illum, non alia profecto causa id fecisse putandus esset, quam ut reliqua amplificaret, itaque ipse suorum corruptor extitisset. Quae cum ita sint, cum versum 134 quamquam et Probo inst. gramm. I 9, 11 et Nonio 317, 13 notum sine ullo damno atque etiam fortasse cum aliquo commodo desiderari posse indico tum sequentem maxima probabilitate reddi interpolatori, qui in Aen. I 174 'silici scintillam excudit' et VI 7 'semina flammae Abstrusa in venis silicis' invenire poterat, unde sua conglutinaret.

Versum I 144, quem post Bryantum Peerlkampus l. l. p. 125 et Ladevicus in suspicionem vocaverunt, Senecae auctoritas vix satis tuebitur: quidni enim apud hunc quoque a lectore temerario additus esse possit? et habet cunei, quasi eo post inventam serram uti desiissent homines, commemoratio, quod perversam scioli diligentiam oleat.

Dubitari certe potest de auctore versus III 162. Notas vitulis post partum inuri iusserat poeta et admissariis futuris et deorum ad aras et ad arandum destinatis. Ceterane igitur armenta recens nata viridis per herbas pasci iusserit, illa autem in stabulo servari dum adoleverint, ut vel summitti pecori vel mactari vel sub iugum cogi possint? Quod cum absurdum sit, sola sane Martyni ratio ferri potest, qua cum sequentibus v. 162 coniungitur. Sed ea ut *pascantur* scribatur flagitari intellexit Vossius, quod tamen in nostris, h. e. in bonis codicibus scriptum non extat. Itaque ambiguo illo versu malim equidem carere, satisque eleganter ad singula vitulorum studia regenda transitus fiebat pronomine *tu*, quo erigitur lectoris animus.

At faciles intellectu habeo versus proxime antecedentes 158 sqq., quos transponendo et mutando turbavit Peerlkampus. Cum enim nesciret quid copula 'et' v. 159 faceret, coniecit v. 160 scribendum 'et scindere' et v. 158 post 161 collocandum. Mihi, si quid intellego, haec sententia videtur esse: praeter gentis nomina et notas pastores recens natis vitulis etiam muneris, cui eos inservire volunt, certa signa inurere, ut Columella VII 9 ait: 'nam in maiore numero diversis notis opus est, ne confundatur memoria custodis.' cf. XI 2. Festinantius autem percursis adnotationibus meis Peerlkampus falso narravit me v. 158, quem ipse transponi iussit, prorsus deleri velle: uncis inclusi v. 162.

Sed ab eodem monitus v. 288 colonos paulo abruptius iuberi a gregum cura laudem sperare non contradixerim si quis interpolatum habeat. Quem desidero facillime, mutatum ut ille voluit et Ladevico persuasit 'hic labor, hinc laudem fortis sperare coloni' aegre fero et propter inanem nescio quam loquacitatem bono poeta prorsus indignum habeo.

Ovidianam abundantiam coll. trist. III 10, 19 sqq. Peerlkampus Mnemos. X 257 sqq. in Scythicae hiemis descriptione III 360 sqq. notans praeter v. 362 etiam Iacobo Bryantio suspectum v. 363 sq. reiecit, 366 autem ante 383 inseruit. Hoc quidem parum feliciter, quoniam a verbo *velatur* subiectum *gens effrena* separari non potest immixta aliena sententia 'stiria . . . induruit.' Nec de ceteris persuasit, nisi quod fateor mihi quoque loquaciorem versiculum 362 paulo minus placere.

Digitized by Google

De tribus versibus III 437—439, quos Peerlkampus l. l. 262 'tam spurios' indicavit 'quam ulli in omnibus, quos grammatici Virgilianis immiscuerunt' ne nunc quidem quidquam adfirmaverim, ut satis habeam ea significasse quae in notis leguntur.

Temere vituperatum ab eodem p. 126 puto I 168, qui et defenditur et explicatur Eleusinae matris et Iacchi numinibus (163 sqq.). Item falso damnati II 528 et de quibus bene disputavit Ladevicus l. l. p. 24 versus IIII 281 sq. Nec inter eos sum, quos semel admonitos Cyllarum et Graios poetas III 90 reiecturos esse confidentius Batavus p. 235 adseverat. Tres enim versus 89—91 vel ternario sequentium versuum 92—94, qui et ipsi 'talis' voce incipiunt, numero flagitari videntur. Si autem versum 91 statim v. 89 subiunxisset poeta, repetiisset puto *tales*. Alia monuit Ladevicus in appendice p. 195.

Paulo post displicuit nuper Hanovio (p. 12 sq.) Ameisii perversa explicatione quadam seducto quod ubi senioris admissarii languorem describit poeta (97—100) bis idem dixisse videtur, cum et frigidum in Venerem et in proeliis Veneris incassum furere dixerit: expellenda igitur censet media haec 'senior, frustraque laborem ingratum trahit.' Quasi vero tali ratione difficultatem, si qua est, removisset! an idem ecus simul frigidus esse et ignis instar furere poterit? immo aut invitus lentusque aut si quo ardore correptus fuerit invalidus erit putandus. Invitus et quasi coactus laborem subigendi equas trahit ingratum sibi, ut frustra sit labor; alia causa, sed idem effectus est, siquando sero amore incensus maiore impetu proelia Veneris exercet: furit enim, sed furit sine viribus, ut mox languescat nec sufficiat muneri.

In eodem libro Peerlkampus pulchram imaginem cum non intellegeret delevit eiusdem libri eiecto v. 470. Nimirum non densior imber turbine concitatus ruere et sternere sata dicitur, quam ruunt sternuntque pestes pecudes alias super alias.

Loci III 148 fides, quam ille repudiavit p. 243. 381, mihi videtur Philargyrii adnotatione satis defendi, quamquam illud 'vertere vocantes' difficile esse et totum versum facile desiderari concedo. Nisi forte ignotum fuisse animalculum in regionibus Graecis putavit Vergilius, itaque re vera aliunde inlatum in notitiam linguamque eorum. Item testimoniis non contemnendis scriptos esse a poeta probatur III 282—285 versus, quos num,

si longior vita ei contigisset, omissurus fuisset, ut adfirmat Peerlkampus p. 252, nescio: necessarios non esse concedo. Nec 481 delebit qui monitus a Servio Lucretium VI 1125 sqq. comparaverit, lacus autem ab amnibus (v. 522) distinguere didicerit. Nec pabula statim tabo infecta aut specie non laeta apparebant (494). Defendit hunc locum Ladevicus quoque l. l. p. 19.

Nec tanta est aut Parrhasiani codicis aut fragmenti Moretani auctoritas, ut propter eam in manifesta Homeri Il. Ξ 393 sq. imitatione etiam a Servio observata trium exemplorum medium IIII 262 aut III 201 alienum a Vergilio habeamus cum illo, qui Homericorum exemplorum rationem si respexisset, non elegantiam huius apodosis desideravisset. Pulchre autem 'volare' aquilo dicitur, quia cum equo comparatur (cf. 194). Item et Homeri Od. δ 418 sq. exemplum et nostri poetae v. 442 tuebitur IIII 409 sq. (cf. Ladevicus l. l. p. 25). Sane illum quoque cum proximo 441 Peerlkampus in eandem grammatici fabricam repulit, ut tamen bono Homero δ 455 sq. eandem loquacitatem condonavisse videatur. Nec versibus 425—428 carere volet, qui v. 401 sq. memor erit.

Caput V.

Emendationes quaedam georgicon nuper prolatae adduntur.

Ceterum iniquus sit, cui quae 'subito' et retractaturus postea vir ad suspicandum et coniectandum pronus effudit, bilem propterea moveant, quod magnam partem temeraria lusum magis ingenii quendam quam artis severitatem referunt. Insunt enim vel sic in tanta coniecturarum multitudine valde memorabiles, ex quibus has potissimum si non commendaverim omnes sed tamen notatu prae aliis dignas habuerim.

I 10 sq. post v. 15 collocari iubet. 24 *mox*] *post* vel *olim* 59 *patria est* 92 *tenuent* 102 *caelo* 169 *Decios-*

que mares 303 *pressa . . carina* 415 *divinius* 416 *tanto* 512 *cursum effudere* II 141 *immania* 296 sq. post 292 posuit, quod miror Ladevico adeo placuisse, ut in textum receperit. Necessario enim *ergo* v. 293 ad radicum altitudinem spectat; umbram autem *tum* (v. 296) maxime sustinet ingentem quercus, si multa saecula vicit (v. 295). 285 *prospectu pascat inani* 327 *agit* 514 *patriosque* III 99 *e stipulis* 116 *equitum* 130 *concubitu primo* 143 *pascantur* 260 *Sesti* (*sectus* Goth. pr.) 351 *riget* 430 *stagna colit ripasque, inhians ubi* (ego servata ceterum librorum memoria *sibi* pro *hic* scriptum esse malim) IIII 84 et 85 *has* 177 *agendi* (sed *habendi* defendit Ladevicus l. l. p. 24). 243 merito displicuit Peerlkampo vulgata structura 'cubilia adederunt favos', sed quod ipse '*lucifugae . . . blattae*' scribens 'cubilia' ipsarum apum sedes intellexit, intulit quod post 'favos' abundare videtur. Ego quidem facilius duco ad 'congesta' suppleto verbo substantivo 'sunt' post 'blattis' vocem fortius interpungere, sequentia autem ita coniungere, ut fucus aut crabro aut tinia se inmiscuisse dicatur. Qua structura nescio an Ladevici quoque (append. p. 198) dubitationibus satisfiat. 295 *hos ipsos aptus ad usus* 346 *Volcanique dolos et Martis* 412 *tam tu* Peerlkampus quoque commendavit, receptum nuper a Ladevico. 483 *vento rota restitit.* Servii testimonio neglecto possis *cantu rota constitit* conicere. Philargyrius *ventu* vel legit vel certe coniecit. Post 487 Peerlkampus unum versiculum excidisse suspicatur, quo ne respiceret Orpheus vetitum fuisse declararetur.

Praeterea persuasit mihi fere *Otto Hanovius* ge. I 142 scribendum esse '*alta petens alius pelago trahit umida lina*' (ephem. Berol. schol. XVII 78 sq. et sched. critic. p. 3). Idem laudandus quod sched. crit. p. 5 versuum ge. III 224—229 nexum probabili distinctione restituit haec:

nec mos bellantis una stabulare, set alter
victus abit longeque ignotis exulat oris.
multa gemens ignominiam plagasque superbi
victoris, tum quos amisit inultus amores,
et stabula aspectans regnis excessit avitis:
ergo omni cura viris exercet *c. q. s.*

At non placet quod ge. IIII 22 coniecit sched. crit. p. 3 sq. *more suo* pro 'vere suo'. Quale enim apium, h. e. tam regum

quam examinis ver sit ipse Hygino et Vossio auctoribus postquam rectissime indicavit, levissimis argumentis suam ipse explicationem infringere conatus ex Palatini corruptela MVO pro SVO elicuit quo *veris* mentionem in *morem* mutaret, prorsus id quidem improbabiliter. Nam latere in Palatini ista scriptura *novo* etiamnunc suspicor, quod tamen poetam scripsisse ne olim quidem contendi: immo similis loci I 43 exemplo inductus ut saepe aliquis diorthota coniecturae periculum fecisse videtur.

Nec consentio quod idem l. l. p. 6 ge. I 187—192 post 203 transponendos suasit. Nam primum hiat inter vv. 186 et 193 oratio; tum non animadvertit solere Vergilium singula praeceptorum capita item ut libros singulos graviore vel aliquo modo insigniore sive sententia sive imagine ut hac de rebus in peius ruentibus 199—203 concludere (cf. 338 sqq. 390 sqq. II 105 sqq. 136 sqq. 454 sq. III 89 sqq. 229 sqq. IIII 219 sqq.) Atqui post tam splendidum locum sex de spe messis versiculos inserere ineptum erat, qui quam arte cum loco de area aequanda cohaereant, ipse ultimus docet versus 'nequiquam pinguis palea teret *area* culmos.' Consentaneum enim erat postquam aream descripsit poetam de frumentorum, quorum *triturae* (v. 190) illa struitur, proventu signum aliquod inserere, tum demum quid ars humana in medicandis seminibus valeat narrare. Ergo suo loco positi versus nostri, nec aut transponendi aut cum Ladevico (append. p. 192) ad marginem et secundas curas relegandi.

Digitized by Google

Caput VI.

De Aeneide qualem reliquerit poeta et quibus temporibus scripserit.

Quod georgicon III 46 promisit Vergilius

mox tamen ardentis accingar dicere pugnas
Caesaris et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar

(516 sq.) observavit (cf. Conrads p. XV). Iam cum a Cerauniis ad Calabriae litus sex vel septem horis, inde a promunturio Sallentino minus dimidiato mense cursus ad occidentalem Siciliae partem confici potuerit, non post Idus Apriles Drepanum pervenerunt (707). Vnam noctem apud Cyclopes toleraverunt (583). Drepani mortuus Anchises aestate (V 46 sqq. 626), et ubi 'annuus exactis completur mensibus orbis' (V 46), ipso mortis die ludos in patris memoriam sollemnes indicit Aeneas ac celebrat. Ergo recte subductis rationibus quarta, non septima post Troiae excidium vertitur aestas, quod non scripsisset poeta, si tertii libri rationem habuisset.

Unde effecit Conrads p. XV, Vergilium cum librum tertium componeret, similem ei quam Dionysius I 63 narravit de erroribus Aeneae fabulam secutum esse, postea eos in septem annos distraxisse, ut scilicet a Troiae excidio usque ad Lavinium conditum sollemnem decem annorum numerum tribus annis bello tributis efficeret (p. XXII). Nam septem annos Dido quoque I 755 numerat his 'nam te iam septima portat omnibus errantem terris et fluctibus aestas', quae ne cum illo quidem quinti libri loco (626) conciliari satis posse iam veteres animadverterunt (cf. Servius). Quae si vera essent, octava, non septima aestate Aeneas ludos in Sicilia celebravisset, si quidem Carthagine 'hiemem quam longa' (IIII 193) cum regina transegerat. Quamquam ne quartum quidem librum satis cum tertio concinere idem Conrads p. XV intellexit. Quippe secundum illum 'hiberno sidere' et 'mediis aquilonibus' (310) Carthagine proficiscitur Aeneas, atque 'aquilone' fluctus atros secari, dum tenet iter, etiam quinti libri initio (2) narratur. Sed mox tempestate in portus Sicanos delatus (23. 32) postera statim luce (42) ludos illos instituit, quos aestate fieri supra vidimus.

Ergo hanc quoque discrepantiam quamvis paulo leviorem expoliendo removere debebat poeta. Quinti autem libri verba illa (626) fortasse sic interpretanda, ut aestatis notione totum annum complexa Iris significare statuatur, iam in eo esse ut septimam aestatem sequatur octavus. Nam per aestatem cum navigare liceat, non per hiemem, haud ita inepte poterat infinitos per maria errores conquerens iam octavam instare, praeteriisse septimam aestatem dicere, ut Dido dixerat (I 755) 'te iam septima portat omnibus errantem terris et fluctibus aestas', quamvis exeunte

aestate vel auctumno Libycas oras advenisse videatur (III 715). Similiter in georgicon et III 190 equi exerceri iubentur 'tribus exactis ubi quarta acceperit *aestas*', et IIII 207 apum ex floribus mellificantium aetas definitur: 'neque enim plus septima ducitur *aestas*'. Mirum tamen manet, in hiemis exitu non adpropinquare sequentem aestatem sed praeteritam iamiam ad finem vergere dici.

Immo ipsum primi libri exitum etiam hanc ob causam inprobo, quod non intellegitur, unde tandem regina istum annorum numerum cognoverit et cur omnino commemoraverit. Idque ipsum antiquos criticos quaesivisse docet Servii adnotatio: 'septem autem annos esse Dido cognovit ex Teucro'. Scilicet memoria tenebat Dido annum Troiani excidii, de quo Teucer olim (619), cum Sidona venisset, ipsi narraverat (623), et inde computavit, quot annos circumlatus esset hospes. Quod cum mihi quidem satis ineptum videatur, nescio an Vergilius haec tantum reliquerit:

'immo age et a prima dic, hospes, origine nobis
insidias' inquit 'Danaum casusque tuorum
erroresque tuos'

cetera interpolator antiquus addiderit.

Inter nonum et quintum librum quae intercedat ratio Conrads p. VIII et XXIII significavit. Meminit enim IX 217 Nisus urbis Acestae in Sicilia conditae V 750, quamquam quod dicit solam Euryali matrem spreta illa sede Aenean et filium secutam esse illic non memoratur. Item convenit cum quinto, quod cum 'Argolicum terrorem inter Troiaeque labores' (IX 202) sublatum et eruditum esse Euryalus 'ora puer primo signans intonsa iuventa' (181) se praedicet, necesse est non minus septem annos errantem Aenean in nono quoque finxerit poeta. Mirum tamen quod hic vv. 176 sqq. ita describuntur Nisus et Euryalus, quasi numquam antea mentio eorum facta esset. Tamen V 294 sqq. in certamine inter cursores eminent. Unde probabiliter efficies, hanc certe quinti libri partem (286—361) post illud quod in nono libro est de Niso et Euryalo episodium (176—503) ortum esse.

Ceterum quinto libro supremam manum defuisse satis multis proditur indiciis. Hemistichia nunc quoque in omnibus libris haec restant: 294. 322. 574. 653. 792. 815, sed panno adsuto in quibusdam male expletum 595. Et simili lusu alibi quoque interpolatores indulsisse suspicor: v. 120. 403 (ubi praeter ea, quae

Digitized by Google

merito vituperavit Peerlkampus, displicet $\kappa\alpha\kappa o\zeta\eta\lambda i\alpha$ qua *tergo bracchia* iutendi dicuntur), item de v. 467 recte iudicasse Peerlkampus videtur. Nam Schweuckium, qui deleri iussit v. 285 hemistichium negans *sub* ubere matris humana enatos cubare, nemo sequetur qui umquam lactentes infantes viderit. Temere Servius quoque v. 457, cuius non sensit elegantiam (cf. Wagnerus quaestt. Verg. XXI 8), inter tibicines rettulit. At dignus eo nomine v. 572, quem post 538 relictnrum fuisse Vergilium non credam. Idem de verbis v. 802 'et rabiem tantam caelique marisque' satis illis quidem otiosis iudico. Abundare v. 440 concedendum fortasse Peerlkampo. Et commentatorem magis quam poetam decebat versus 603 exilitas.

Severior nescio an fuerim quod v. 505 sq. 'timuit . . . plausu' uncis inclusi: sed languere etiamnunc sentio 'omnia' illud nec in perpolito poemate et hic v. 506 ingentem columbae scilicet plausum et paulo post v. 516 alis plaudentem eandem offenderemus. Atque aliquid inperfecti vel in structura versuum 513—516 animadvertit Wagnerus, quam parum probabili ratione Peerlkampus posito v. 513 'at' et 515 'tum' reconciunare studuit.

Defectum orationis signavi post v. 290: neque enim aut 'consessus' pro sede aut 'extructum' pro extructo toro dici posse puto. Nec potest integra haberi sententia 822—824 versuum: deest et verbum quod ex vicinis suppleri nequit et dextri lateris significatio, cui laeva manus a muliebri choro occupata opponitur v. 825. Nec fefellit opinor Peerlkampum sensus, qui preces Aeneae v. 83 abrumpi magis quam finiri miratus est. Nam sufficere fortasse poterant duo versus 80 sq. Sed his qui addidit 'non licuit finis Italos . . nec tecum Ausonium . . quaerere Thybrim', eum certe expectares precari ut suo saltem augurio praesens genitor suos prosequeretur. Nec erat cur subito anguis visu talis oratio interrumperetur.

Veteres iam desideraverunt post v. 569 equi in quo Atys puer invectus esset descriptionem: atque haesisse hoc loco poetam vel v. 572 docet, quem tibicinis loco positum esse supra monui.

Denique displicet mihi quoque 'praepes ab *Ida*' (254) rapiens aquila Ganymeden 'frondosa Ida' (252) venantem. Nam nec in repetito nomine vis ulla nec ullo modo provisum ut eandem Idam hic culmina, illic convallia montis intellegeremus. Sed rectius fortasse qui librarium hic, non poetam peccavisse statuerunt.

Tertio et quarto recentiorem, quinto ex parte certe antiquiorem esse diximus *nonum* librum, qui quamvis pulcherrimis locis insignis tamen a perfectionis laude procul abest. Hemistichia restant 167. 295. 467. 520. 721. 761 et si vera Peerlkampi suspicio est 160. Paulo obscuriores videntur vv. 367 sqq. Non enim dixit poeta quo, quando et quo consilio praemissi fuerint equites et unde responsa ferant. Perversa autem si quid video Ladevici ratio, remansisse, dum cum cetero exercitu Turnus in castris fuit, prope Laurentum unam legionem, unde iam equites qui peditum adventum nuntiarent praemissos esse. Hi enim Euryalo et Niso, qui Euandri urbem versus profecti erant, obviam venire numquam poterant. Immo speculatum ultra Rutulorum castra missi, dum ex urbe reliqui profecti castra Troiana oppugnant, equites illi iam redibant. In *Numa* nomine v. 454 iam veteres offenderunt nec meminit huius Numae poeta in decimo libro v. 562, ubi denuo 'fortem Numam' ab Aenea interfici narrat. Nec *Asilan* qui v. 571 commemoravit, alterius loci X 175 meminit vel vice versa. Mancam notavi orationem v. 749, sed 'adfectatae structurae' v. 403 facilis adlata medela est. Contra tolerari non poterat pinea silva quae simul lucus picea trabibusque obscurus acernis (85—87) esset: ergo dittographiam signavi. Nimia et parum vel Ascanii vel Nisi personis apta promissa v. 272—274 merito castigavit Peerlkampus, et aegre mihi ipse imperavi ut in textu relinquerem. Etiam cratera unum v. 266 inter bina reliqua dona melius omissum fuisse verum est; ac Didonis memoria hic multo minus quam XI 74 apta erat. Sed v. 315 sq. malignius carpere nolim: perniciosa profecto Rutulorum castra Niso et Euryalo fuerunt, quae nisi caedis et praedae cupidine detinuissent iuvenes tuti ad Aenean pervenissent. Ergo antequam inimica esse senserunt, multis ipsi exitio futuri erant. Quo magis dubito de locis, si dis placet, vel lucis Albanis v. 387 sq. Nam qui ad litus posita (317) castra modo egressi erant iamque adeo moenia Pallantea subibant (371) ab Albano vel monte vel lacu vel agro procul aberant (cf. XII 134 sq.). Confidentius seclusi ex poetae verbis v. 151. 363. 777, librorum etiam testimonio repudiantur 29. 121. 529. Luxatis versibus 146 sq. transponendo post 72 opem tuli.

In *septimo* libro ultimis etiam vitae annis occupatum fuisse poetam inprimis docet v. 604 sq. 'sive Getis inferre manu lacri-

mabile bellum Hyrcanisve Arabisve parant seu tendere ad Indos Auroramque sequi *Parthosque reposcere signa'*. Parthi enim 'signa militaria quae M. Crasso et M. Antonio ademerant *reposcenti reddiderunt'* (Sueton. Aug. 21) anno 734 (cf. Mommsenus ad res gestas divi Aug. p. 84 sqq.). Atque in ea maxime parte, quae belli initia et catalogum continet, satis multa offendimus inperfecta (cf. emend. Verg. 6), quamquam ne altera quidem pars ultimam limam experta est. Nam hemistichia relicta in utraque v. 129. 248. 439. 455. 705. 760, ab interpolatoribus expleti fortasse v. 444 et 571. Alias lacunas indicavi post v. 242. 543. 663. 695 et vereor ne illum quoque locum v. 535—539, ubi aegre post 'seniorque Galaesus' verbum desidero, expleturus fuerit; dittographias esse vv. 75—77 pro 74, et 624—627 pro 638—640, et in schedis fuisse ambiguam versus 307 scripturam conieci. Denique turbatum versuum ordinem perverse insertis quae in marginem coniecta fuerant deprehendi vv. 395 sq. 624—627. 698—702, nam vv. 667—669 turbas malo librariorum neglegentia ortas putare.

Interpolatori autem tribuo vanissimos versus 146 sq. Nam 'epulas instaurare' unde tandem licuit Teucris, postquam consumptis aliis ne Cereris quidem quadris parcere penuria adegit edendi (112 sqq.)? Qui quoniam subiectas per herbam mensas consumpserant (116), vel illud hemistichium 134 'et vina reponite mensis' e textu tollendum erat. Nam pocula omnino sublata e medio nondum fuerant. Libant igitur et precantur, tum intonat caelum, quo augurio spes laeta Troianis adfertur, 'advenisse diem quo debita moenia condant' (145), hisque huius diei res gestae optime terminantur. Otiosi praeterea videntur vv. 386 et 575. At nimius Peerlkampus, qui totum exordium usque ad v. 36 deleri voluit. Est enim ad cetera necessarium, quamquam recte olim sensit Servius epilogum magis sexti quam rerum quae iam instant prologum esse. Sed talia corrigere poetae erat, non critici. Ergo alia in adnotatione tangere satis habui, ex quibus gravissimum, quod veteres quoque percussit, laudatum ab Aenea v. 122 sq. vaticinium Anchisae, quod III 255 sq. Celaeno docuerat sane Anchisen et socios, sed hic usquam ipse cecinerat.

Quae *octavum* librum terminat clipei descriptio respicit triplicem Caesaris anno 725 triumphum et Augusti titulum anno 727 a. d. XVII Kal. Febr. decretum (v. 678): desunt posterioris

temporis signa. Videtur autem totum librum aliis magis perfectum et accuratius scriptum reliquisse poeta. In quo ne hemistichia quidem plus tria reperiuntur 41. 469. 536. Ex quibus quod primum posui ascito versus 49 dimidio et omissis quae interredunt integrum fieri perspexit Heynius et prorsus persuasit Peerlkampus, minime illi refutati a Conradino p. VIII adn. Monstrum enim 'rum fetu ronrolor albo' sus (81 sqq.) ei satis notum erat, qui vaticinii ab Heleno III 390 sqq. dati meminisset. Idem autem Peerlkampus cum v. 13 sq. haer 'multas... nomen' non posse a Vergilio scripta esse demonstraverit, accedit inperfectus versus 13. Atque omnino praeter unum versiculum 654, quem librariorum errore falsum in lorum delatum esse ronieri, si quid displicet in hor libro, abundantiae maxime vitio laborat. Itaque veteres etiam quaedam (627. 731) ut superflua vituperaverunt. Et statim initio v. 3 non abundat solum, sed perversus est: nam animos prius turbari et saevire iuventutem consentaneum erat, tum demum equos et arma exritari. Ergo uncis includendus erat item ut quem merito Peerlkampus damnavit 149 et iam Heynio susperti 283 sq. Etiam v. 601 dubia mihi fides est: miror enim Latinum poetam Silvanus qualis esset deus verbis 'arvorum pecorisque deo' enarrandum sibi duxisse. Sed alia causa parum aptae illius Tartari rommemorationis v. 666—670, quam liret verissime a Peerlkampo vituperatam tamen ut servemus in textu cogunt v. 671 verba 'haer inter', quae non possunt intellegi nisi statuamus inter Tartari et eorum quae in terra gesta finguntur imaginem Oceanum fluxisse. Tamen non dubito quin hunc maxime lorum secundis curis poeta retractaturus fuerit.

In *decimo* libro quando versatus sit poeta nullo indicio proditur. Non complevit versus 17. 284. 490. 580. 728. 876, ner 27 ipse inplevisse videtur; et interpolationis suspirionem etiam v. 145 satis frigida de Capuae nomine notitia movet. Integri versus interpolati librorum aurtoritate repudiantur 278 et 872. Sed omissis aliis pannis quibusdam integritati poematis bene consulitur. Primum v. 20 sq. ferri Turnum per medios insignem *equis* falso queritur Venus: initio quidem anteredentis libri v. 50 Thracio ille equo ante volans agmen praecesserat, at 'rursu' v. 559 Lyrum secutus pedes sine dubio v. 728 in portas inrupit et leonis instar v. 797 vestigia 'inproperata' rettulit, doner saltu

se in fluvium dedit (815). In nostro demum libro v. 440 'volucri curru' agmen secare fertur. Atque omnino verbosior pugnantis Turni descriptio locum in illa oratione non habebat.

Obscuriora et Iovis persona parum digna inferuntur v. 109 sq. Quae si respiciunt ad Veneris et Iunonis criminationes, merae argutiae sunt: neque enim illa serio de fatis Italorum coniecturam protulerat v. 31 sqq.; sed Troianorum rata esse postulaverat. Voluit autem qui illa consarcinavit illustrare haec: 'fata viam invenient' (113), hisque ipsis, ni fallor, praemitti. Nam ubi nunc sunt, ne cohaerent quidem cum vicinis. Versum 475 aut non scripsit Vergilius aut cum scripsit paulo aliter pugnam Pallantis cum Turno instituturus erat. Nam ut nunc legitur locus, prorsus otiosam et puerilem ensis cuius nullus usus futurus est commemorationem esse concedendum Peerlkampo. Inanis verborum abundantia, qua v. 804 sq. 'omnis arator omnis et agricola' cumulatur, tantopere displicet, ut poëtam haec scripsisse nunc putem:

ac velut effusa siquando grandine nimbi
praecipitant, omnis tuta latet arce viator.

Nam latens vel tectus sive ripis sive saxo, non diffugiens campis recte comparatur cum Aenea parma nati adversus tela protecto. At poetae neglegentia est, quod equitum Arcadum cum Etruscis classi, quae Aenean et Pallanta vexit, terra praemissorum v. 238 sq. primum mentio fit. Quae ubi fieri debebat v. 154 sqq. nihil legimus nisi classem conscendisse iunctis opibus Tarchontem cum Aenea. Hoc ergo secundas curas etiam expectabat. Item postquam brevissime v. 285 sq. narratum est 'secum versat' (Turnus), 'quos ducere contra vel quibus obsessos possit concredere muros', nusquam de eis legimus qui castra Troiana obsidere pergunt: immo 'rapit totam aciem in Teucros et contra in litore sistit' (309). Sed v. 604 post funera quae 'per campos' Aeneas edidit enumerata subito haec offendimus: 'tandem erumpunt et castra relincunt Ascanius puer et nequiquam obsessa iuventus'. Ergo non satis diligenter ac plene haec relata sunt.

Fortasse etiam ordo versuum 660—665 et 714—719, de quo in emend. Verg. p. 3 paucis monui, ipsius autographi additamentis quibusdam in margine adscriptis turbatus est. Nec suo loco insertos esse credo v. 270—275. Qui ubi nunc sunt, quis tandem sit cuius apex capiti ardeat non satis perspicuum est.

Debebat splendida ducis exornatio ibi potissimum inseri, ubi 'stans celsa in puppi' et elato clipeo ardenti laetum adventu suo Dardanidarum clamorem excitare dicitur (261 sqq.). Contra mirationem Turni de adpropinquante classe (267—269) aptissime sequebatur v. 276 sq., fiduciam tamen non ei cessisse e. q. s. Sed quoniam simpliciter transponi haec non possunt, non absolvisse locum statuendus erit poeta.

Mancos in *undecimo* libro duos tantum versiculos 375 et 391 reliquit, quorum hunc iam antiquo tempore fuisse qui supplere instituerent, ipse Mediceus liber exemplo est. Non clausit sententiam v. 87, querellas, ni fallor, Acoetis additurus. Sententiae 'quae sola Camillae quicum partiri curas' (822) structuram crederem absolutam esse, si absoluti infinitivi in enuntiato relativo usum consuetudine viderem confirmari (cf. Wagneri qu. Verg. XXX). Ergo hunc quoque de Camillae et Accae amicitia locum uberius, fortasse ad Ennii (ann. 239) exemplum exornare voluisse Vergilium statuerim. Monstri instar, quod aegre mihi persuadeo ipsum probavisse, longissima per parenthesin inter Dianae orationem iniecta poetae de Camillae infantia narratio (537—584). Nam errat magnopere Servius cum ceteris, qui ipsam deam haec quoque dicere animum induxerunt. Pauca falso loco inserta: 264 sq. et fortasse 469—472, quae si post v. 476 vel potius 485 transponuntur, melius coniunguntur quae rebus inter se apta sunt: ut postquam in muros discurrere (armatos, puto, ut desuper defendant) legimus v. 468, alii portas munire (473) et inter bucinae cantum (474) matronae quoque puerique ultimo labori sese adiungere (475 sq.) ferantur. Ipsa porro regina cum matrum choro et Lavinia Palladis templum adgressa precatur (477—485), solus rex Latinus misso omni consilio nihil agit (468—472), cuius inertiae optime opponitur v. 486 sqq. Turni fiducia. Quamquam verum est in verbis quaedam inesse quae huic ordini adversentur. Ac displicet inprimis paulo post v. 469 'consilium *ipse* pater' verba repetitum v. 486 nulla vi idem pronomen in his: 'cingitur *ipse* furens'. Nimirum ne hunc quidem locum satis absolverat poeta.

Loquaciorem esse sentio locis nonnullis naeniam Euandri, quam nescio an laceram et inperfectam reliquerit. Offendor primum in magnis Phrygibus v. 170 appellatis. Honorifice Teucri, Troiani dicuntur, contemptim ab inimicis Phryges. Poetae nostri vereor ne in hoc versu sola sint 'quam pius Aeneas'. Porro v. 171 frater germanus est v.

598. Quid in sequentibus 172—175 obscurum et rude sit Peerlkampus exposuit. Certe inanis gloria, de Turno quoque tropaea Pallanti futura fuisse, si robur maius fuisset. Illum quidem sanissimo sensu genuinus Euander ipsi Aeneae deberi statim v. 178 profitetur. Sed in his quoque extrema 'meritis . . . imos' (179—181) abundant et languent.

Versus 290 tibicinem 'et in decimum v. r. annum' subtili iudicio Messala notavit. Non dittographiam, sed spurium nunc habeo v. 80. Temere ex VII 565 sq. repetita esse suspicor v. 523 sq. haec 'quam . . . latus', quae omisso quod illic additum est 'nemoris' ne intellegi quidem satis facile possunt. Nec silvae mentio hic ad rem necessaria, cum difficillimam aditu vallem illam et fraudi aptam reliqua loci natura satis praestet, anfractus dico et tenuis semita et faucium angustiae. Versus denique 607 per se durior (durum enim est adventum virorum ardescere dici, quod ne de fremitu quidem equorum satis proprie praedicatur) post v. 599 sqq. prorsus otiosus est.

Unum in *ultimo* libro versiculum non plenum 631 optimi libri praebent, cuius supplementum novicium extat in Leidensi. Sed bis vel ter sententiam non ad finem perductam notavi: v. 218 et ante 733. Tertius est locus Aeneae oratio 889—893, in qua cum 890 summam contineat sententiam, aut praecedere debebant sequentia 891—893 aut alia clausula, velut 'numquam hodie effugies', excipienda erant. Bis idem exprimitur vv. 879—881 et 882—884, sed ita ut ternionem utrumque poeta ipse proposuisse credendus sit. Non fugit veteres neglegentia qua Camertis forma v. 224 induens Iuturnam non meminit occisum esse X 562, nisi forte cognomines duos intellegi voluit. Sunt praeterea quae utrum interpolator an poeta peccaverit ambiguum est. Certum quidem et librorum auctoritate firmatum, alienos ab hoc esse v. 612 sq.

Omnino aliis huius libri partibus et minus a poeta elaboratus et ab interpolatore magis pertractatus esse videtur ille de foedere rupto locus. Notavi mancam v. 218 sententiam. Sed statim v. 203—205 inepte Latinus his 'nec me vis . . . solvat' exaggerat quam promittit fidem, quae non a poeta scripta esse eo probabile fit, quod sequentia v. 206 sqq. 'ut sceptrum hoc' e. q. s. ipsa sententia cohaerent cum 202 sq., quae haec est: 'nulla dies

hanc pacem rumpet, ut sceptrum hoc numquam virebit'. Eamque neglegentiam veteres criticos non fugisse docet Macrobius. Deinde inane hemistichii 227 supplementum 'haut nescia rerum'. Et quoniam industriam interpolatorum explendis maxime versiculis deditam fuisse satis cognovimus, suspicione ne illa quidem carent, quae Peerlkampus reiecit 'et te animo . . . Hector' 439 sq.

Nihil ad rem facere v. 563 sq. 'nec scuta . . . deponunt' verba adnotavit Wagnerus, sed idem studio poetae instituta Romana ex antiquissimi aevi consuetudine repetendi satis excusans. Unus ex duobus versiculis fiat si contrahatur vel sic:

concurrit legio. celso stans aggere fatur

vel sic:

concurrit legio. medius stans aggere fatur.

Versuum ordo duobus locis turbatus: 515 sq. et 801 sq.

Iam ut colligam, omnibus numeris absolvit Vergilius nullum Aeneidis librum: recitavit intra exeuntes annos 731 et 732 *sextum* et *quartum* et *primum* probabilius quam *secundum*. Illum autem ac fortasse hunc quoque iam anno 728 vel 729 cognoverat Propertius. *Primus* post a. 725, sed ante 727 a. d. XVI Kal. Febr. scriptus, post eundem terminum ortus est *octavus*, *tertius* post a. 726, nec recentior eo *quartus*, sed est *secundus*. Post tertium et quartum et noni partem certe natus est *quintus*, sed *nonus* quoque post tertium et quartum. Ultimo vitae anno 734 in *septimo* occupatus fuit poeta. Quem constat anno aetatis LII, h. e. 735 u. c. summam Aeneidi manum impositurum in Graeciam secessisse, ubi triennio continuo emendaret poema, sed mox reversum Brundisii XI Kal. Octobr. eiusdem anni diem obiisse, editam autem esse Aeneida ab amicis Vario et Tucca.

Caput VII.
De Vario et Tucca.

Quorum de opera Donatus vel rectius auctor eius Suetonius p. 63 sqq. haec narravit:

'heredes fecit . . . . . *L. Varium* et *Plotium Tuccam.* Qui eius *Aeneida* post obitum iussu Caesaris *emendarunt*, de qua re Sulpicii Carthaginiensis extant huiusmodi versus . . . . Egerat cum Vario, priusquam Italia decederet, ut si quid sibi accidisset Aeneida combureret; sed is facturum se pernegarat. Igitur in extrema valetudine scrinia desideravit crematurus ipse: verum nemine offerente *nihil quidem nominatim de ea cavit, ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit, ne quid ederent quod non a se editum esset. Edidit autem auctore Augusto Varius, sed summatim emendata, ut qui versus etiam inperfectos sicut erant reliquerit;* quos multi mox supplere conati non perinde valuerunt ob difficultatem, quod omnia fere apud eum hemistichia absoluto perfectoque sunt sensu praeter illud: quem tibi Troia. *Nisus grammaticus audisse se a senioribus aiebat, Varium librorum ordinem commutasse et qui nunc secundus sit in primum, tertium in secundum et primum in tertium locum transtulisse, etiam primi libri correxisse principium his versibus demptis:* ille ego, qui quondam . . . horrentia Martis.'

Redit autem prior certe huius memoriae pars ad longe optimum auctorem, ipsum scilicet *Varium*, cuius testimonio cum Quintilianus X 3, 8 in his utatur '*Vergilium quoque paucissimos die composuisse versus auctor est Varius*', certa coniectura ad eundem referemus quae apud Gellium XVII 10 Favorinus exhibet: '*amici familiaresque P. Vergilii in eis, quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt*, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu ursino' e. q. s. Quibus quae propius etiam ab ipsius Varii verbis abesse putaverim idem Sue-

tonius noster p. 59 R. servavit: 'cum georgica scriberet, traditur cotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus ac *per totum diem retractando ad paucissimos redigere*, non absurde carmen se (informe *add. R.*) more ursae parere dicens et lambendo demum effingere'. Nec dubitandum quin ex eodem fonte fluxerint quae arctissime cum his coniuncta statim de Aeneide prosa prius oratione formata et particulatim composita' inferuntur. Scripsisse igitur L. Varium *de ingenio moribusque Vergilii* commentarium recte statuerunt Spaldingius ad Quintil. X 3, 8 Weichertus de L. Vario p. 74 Wagnerus ad Aen. V extr., in quo praeter alia de singulis amici operibus quo tempore facta et edita quaque ratione composita essent edocuit lectores. Ususque eo maxime videtur qui *contra obtrectatores* librum scripsit *Asconius Pedianus*. Hunc enim mortuum anno u. c. 841, natum autem esse anno demum 756 vel paulo ante Christum, h. e. annis viginti fere post mortem Vergilii cum idoneis argumentis probaverit Madvicus, consentaneum est non potuisse ex ipsius poetae ore accepisse quod eum sumptos ab Homero versus excusantem dicere solitum in libro illo narravit: 'cur non illi quoque eadem furta temptarent? verum intellecturos, facilius esse Herculi clavam quam Homero versum subripere' (p. 66 R.). Ut suspicer cetera quoque in Suetonii vita, quae ad Varii auctoritatem referenda esse dicebam, ab illo quidem hausta esse ex Asconii libro, qui tamen ipse haec ex Varii commentario excerpsisse statuendus est.

Ceterum plures Vergilii 'amici familiaresque' ingenium eius et mores descripsisse feruntur, et novimus praeter Varium unum saltem, *C. Melissum*, Maecenatis libertum (Sueton. de ill. gr. 21), qui poetam nostrum 'et in sermone tardissimum ac paene indocto similem fuisse tradidit' (vita p. 58, 5 R.), cuius fortasse de studiis quoque medicinae ac mathematicae et de causa apud iudices non amplius semel dicta quae eodem loco memorantur, ex eodem Melissi libro excerpta sunt. Inter commentatores Vergilii non magis ausim referre quam Suringarus p. 234 et Graefenhanius IV 62: nam apud schol. Veron. Aen. III 705 qui 'Olympionicas multos fuisse' adfirmare dicitur *Milestos* H. Keilii demum coniectura *Melissus* evasit, quamquam non minore probabilitate *Modestus* elici potest: nec Servii ad Aen. IV 146 et VII 66 testimonia commentatorem Melissum compro-

bant, immo multo probabilius ad Aelii Melissi, qui Gellii memoria summi loci inter grammaticos Romae erat, scripta complura referuntur, quae Gellius XVIII 6 commemoravit (cf. Kretzschmerus de Gellii font. p. 93).

Sed ut redeam ad Varium, scitu sane dignum est, num quam ipse de mandata sibi ab Augusto opera rationem reddiderit. Quod nisi fecerit, vel exiguam nostram de schedarum ab ipso poeta relictarum condicione notitiam fatendum erit fide fere destitutam esse. Atque constare mihi nihil videtur nisi in universum professum esse quomodo textum edere instituerit: de quo conspirant fere testimonia.

Nam Suetonii illud quod supra descriptum ad Varii auctoritatem rettuli, summatim Aeneida ab eo emendatam, hemistichia autem non suppleta esse, confirmatur et Hieronymi item Suetonianis copiis usi de Vario et Tucca verbis his (p. 48 R.): 'qui Aeneidos postea libros *emendarunt sub lege ea ut nihil adderent*' et paulo plenius quidem Serviani prooemii hoc loco: 'Augustus vero ne tantum opus periret Tuccam et Varium *hac lege iussit emendare, ut superflua demerent, nihil adderent tamen.*' Sed hoc ipsum quod novi inest in hoc testimonio qua fide dictum sit valde dubium videtur. Nam detractorum versuum exempla duo apud Servium proferuntur, quorum prius quattuor illi qui principium Aeneidis deturpavisse feruntur versus sunt:

ille ego, qui quondam . . . horrentia Martis.

At de his ipsis Varium non testatum esse docet Suetonius, qui *Nisum* de hac eius emendatione fabulam narravisse ita refert, ut fidem eius praestare nullo modo videatur: neque enim accepisse Nisum, sed '*aiebat*' inquit, '*se a senioribus accepisse*'. Nisus autem (cf. Graefenhanius hist. philol. IIII 83 sq.) ne quo tempore quidem vixerit accurate potest definiri, nisi quod a Velio Longo secundi saeculi grammatico laudatum artigraphum non ignobilem mortuum fuisse necesse est, cum de viris illustribus libros vel, ut diligentius dicam, cum Vergilii vitam scripsit Suetonius, h. e. post annum 106 (cf. Rothii praef. ad Suet. p. LXXII). Ut ne id quidem constet, seniores, a quibus illud se accepisse aiebat, ipsum Varium novisse aut certa fide de opere eius testari potuisse. Contra vero aequales Vergilii non aliud agnovisse atque quod in nostris libris tantum non omnibus legitur principium

'arma virumque', ceteros ut omittam, certissima extant Ovidii et Propertii testimonia. Itaque non melioris auctoritatis Nisi versus, quam quos ad VI 289 Servius Parisinus adnotavit dici quibusdam hoc loco a poeta relictos, sed ab eius emendatoribus sublatos esse, et quos 'circumductos inventos dici et extra paginam in mundo' tres versiculos ad III 204 Danielis Servius narrat. Quorum nec hos nec illos quisquam in textum poetae recipiendos esse sibi persuasit. Et quis non videat Gorgonum VI 289 commemorationem thema fuisse huius exercitamenti:

> Gorgonis in medio portentum immane Medusae,
> vipereae circum ora comae cui sibila torquent
> infamesque rigent oculi, mentoque sub imo
> serpentum extremis nodantur vincula caudis —?

Nec horum versuum absurda tintinnabula

> hinc Pelopis gentes Maleaeque sonantia saxa
> circumstant, pariterque undae terraeque minantur.
> pulsamur saevis et circumsistimur undis

cum genuinis poetae verbis III 192—204 conciliari posse olim adnotavi: sed scribi umquam ab eo potuisse fortius debebam negare. Immo manifesta tenemus mendacia interpolatorum, qui quo facilius commenta sua credulis venditarent, praetexuerunt 'authentici' exemplaris, quod numquam inspexerant, inexhaustas nescio quas reliquias*). Ipsius autem Nisi, cui suam in notandis vocabulorum formis exagitandisque soloecismis et fastis computandis laudem nolo eripere, his in rebus sive fidem sive auctoritatem admodum levem esse vel ea docent, quae idem, ut Suetonii verba repetam, 'audisse se a senioribus dicebat', commutasse Varium duorum librorum ordinem et qui nunc secundus est in primum, tertium in secundum, primum in tertium locum transtulisse, nimirum 'quia primo Ilium concidit, post erravit Aeneas, inde ad Didonis regna pervenit' (Servius praef. 2), quod quam futtile et ab omni artis sensu abhorrens iudicium esset ne Servium quidem fugit. Poetae igitur ingenioso et familiari Vergilii tantam stultitiam inputare quis posset nisi ipse his in rebus stultissimus?

*) Ergo de versus III 226 quoque dittographia 'circumducta' testimonii fides ambigua est.

Item audacissime, immo temere et ferociter Varius et Tucca rem egissent, si verum esset quod Servius adfirmat, oblevisse eos vel sustulisse versus viginti unum II 567—588, scilicet quia et contrarii essent eis quae VI 511 sqq. de Helena traduntur, et 'turpe viro forti esset contra feminam irasci'. Nam propter tam futtiles causas detruncare splendidam ceteroqui narrationem, ita autem detruncare, ut reliqua ne cohaereant quidem inter se aut satis recte possint intellegi, hoc erat urendo et secando atque adeo furando despoliare opus praeclarum, non ut pios et elegantes homines decebat edere. An reliqua satis multa, quae partim vituperata esse a criticis legimus in commentariis antiquis, suo loco nobis quoque perlustranda, partim ipsi supra notavimus, ita fugerunt acumen hominum eruditissimorum, ut ceteris omnibus locis quasi coniverent, hoc solo in leviuscule dormitantem poetam saevissime animadvertendum esse sibi ducerent? Ac si semel corrigendum tali licentia poetam sibi sumpsissent, cur tandem eis pepercerunt, quae omissis vv. 567—588 omni nexu destituta erant, aut quidni resectis etiam vv. 589—623 continuati saltem fili narrationis laudem praeripuerunt Peerlkampo?

Itaque Varii et Tuccae fide ac prudentia indignam esse rationem, quali usos esse Servius narrat, si persuasum habemus, quid faciemus versibus XXI, qui in optimis quibusque codicibus nostris desunt nec usquam aut a grammaticis aut ab aliis scriptoribus laudantur? Nam quod in Dorvilliano et in Gothanis paucisque aliis recentissimis libris leguntur, nemo peritus non intelleget, ex ipso Servii commentario eos a librariis huc insertos esse. Triplici modo de antiquae memoriae consensu statui posse videtur: aut, quod Heynio in mentem venit, ab ipso poeta hos versus expunctos esse, aut non praesto fuisse amicis integrum Aeneidis exemplar, inventam postea schedulam quae carmina illa contineret, aut editum optima fide a Vario et Tucca quidquid reliquerat amicus, sed lacunam manifestam supplevisse alium qui suis inventis fidem et auctoritatem parare mendacio conatus sit. Ex quibus primum vix magis satisfaciet quam Servii fabula: nam nec intellegitur, cur hos tantum versus nec plus aut minus expunxerit Vergilius, nec probabile eum hunc solum locum retractandum secundis curis destinavisse, nec verum editores omisisse quidquid non ab ipso poeta perfectum fuerat. Nec magis credibile alterum, vel servatas a poeta vel traditas amicis et com-

missas ab ipso Augusto reliquias operis divini tanta neglegentia esse, ut schedula aliqua posset vel delitescere vel amitti, et nescio cui multo post tale ἕρμαιον potuisse obtingere.

Restat igitur tertium, ut fatear verum vidisse in Minoe p. 173 sq. Gruppium, qui statuit ab interpolatore versibus 567—588 suppletam esse lacunam, quam consilio Vergilius interim dum graviora persequitur transmisit. Ac sunt sane quae ne posse quidem Vergilium auctorem eorum fuisse doceant. Nam si erranti per arcem 'dant claram' (sic enim malim scribere quam 'clara') 'incendia lucem' v. 569, mirum quod v. 590 prodigii instar 'pura per noctem in luce refulgens' Venus ponitur quodque v. 605 nubes umida visus Aeneae caligare dicitur. Et quod monstrat filio Venus hic Neptunum muros evertentem, hic Iunonem portas tenentem sociosque a navibus vocantem, a tergo denique summas arces insidentem Minervam, unde nisi ab ipso culmine regiae, quo v. 458 evaserat, in tam diversas partes dispicere poterat? ut ab hoc ipso v. 632 demum dici videatur descendere. Nec verba deae, quibus castigat iras caecosque furores Aeneae, talia sunt, ut non alia eaque aptiora possint suppleri. Nam prostratae regiae aspectu poterat abripi, ut de ulciscenda patriae ruina suorumque caede cogitans dira inprecaretur quamvis absentibus Helenae et Paridi ut malorum auctoribus, poteratque etiam in eo esse ut ad sumendas poenas properaret, cum visa mater contineret currentem et resuscitata parentum filiique quae iam antea v. 562 subierat cura meliora de veris ruinae auctoribus doceret.

Accedit quod, etiamsi reliqua Vergiliano dicendi generi non repugnare concedas, tamen nec 'sceleratas sumere poenas' v. 576 nec 'sumpsisse merentis poenas' v. 585 nec 'animum explesse ultricis flammae' v. 587 dictiones nec versus 579 quas Wagnerus demonstravit ineptiae nec omnino meditationum inde a v. 583 argutiae et ambages placere possunt.

Itaque malim profecto in textu Aeneidis, quem quantum fieri poterat manum Vergilii qualis ab amicis reperta est repraesentare volui, me omissis qui auctoritate destituti sunt versibus 567—588 lacunam statuisse quam intulisse quamvis circumscripta uncis alieni ingenii commenta.

Sed id dubito, num bibliopolae gratia conficti sint hi versus. Quae suspicio quamquam a probabilitate per se non abhorret,

Digitized by Google

tamen Aristonici ad Homeri Γ 269 scholio quodam monemur, posse etiam paulo minus turpi, licet magis etiam perverso studio interpolatorem ductum putari. Haec enim ille: *ἀθετοῦνται στίχοι δ', ὅτι διεσκευασμένοι εἰσὶν ὑπό τινος τῶν βουλομένων πρόβλημα ποιεῖν* (cf. Lehrs de Arist. stud. p. 210). Ut fortasse noster quoque locus acuminis ostentandi vel carpendi poetae causa a sciolo nescio quo suppositus sit. Et comparat Lehrsius l. l. cum simili prorsus licentiae exemplo ad K 372 ab Aristonico prolato (*ὅτι θέλοντες ζήτημα ποιεῖν μεταγράφουσι τὸ ἡμιστίχιον οὕτως, καὶ βάλεν οὐδ' ἐφάμαρτεν, ἑκὼν δ' ἡμάρτανε φωτός*, pro *ἦ ῥα καὶ ἔγχος ἄμαρτεν, ἑκὼν κ. τ. λ.*) corruptum falsa distinctione a Vergiliomastige versum ecl. II 23.

Emendavisse dicuntur Varius et Tucca VII 464, ubi tamen non satis liquet utrum 'aquae' solum metri vitio an 'aquae vis', quod Macrobii quoque codices praebent, reliquisse putandus sit poeta: nam 'aquae amnis' vitiosa iambici vocabuli elisione (cf. Lachm. Lucr. 196) ne primo quidem conamine fudisse potest, si quidem versum sequentem idem posuit. Ac fortasse ne Servius quidem tale quid tradidisse credendus est, sed sic emendandus: '*nam Vergilius sic reliquerat:* furit intus aquae [vis fumidus atque alte sp. e.] amnis, *id est* furit intus aqua et amnis exuberat.' Ceterum omnis de duumvirum negotio memoria quam manca atque ambigua sit, vel hoc loco scholia nostra docent: nam cum Servius *aquai* diaeresin Tuccam et Varium fecisse testetur, Moretani pr. glossator *aquae vis* 'adposuisse' narrat Tuccam. Mihi autem verisimilius videtur illud, ut quod paulo neglegentius in schedis exaratum *aquae* primo aspectu visum fuerat, rectius tum *aquai* legisse statuantur.

Omnino ambigua, nec satis claris litteris expressa interpretanda et constituenda cum essent, minus sane feliciter expedivisse mihi videntur IIII 436, ubi '*dederis*' scripturam probavisse dicuntur nec magis quam alii in '*morte*' sorori scilicet promissa videntur offendisse. Verum esse quod in *MPγ1* legitur '*dederit*' vel v. 429 comparatus docet 'extremum hoc miserae det munus amanti', qui his 'extremam hanc oro veniam' (436) repetitur, cum quod exequi iubetur Anna mandatum non potuerit 'venia' proprie dici, nec sorori, quacum una totos fere dies erat, remitti, sed reddi vel rependi gratiam par fuerit. Morte autem cumulatam se remissuram esse si promi-

sisset, non potuisset profecto alio soror sensu accipere nisi cumulum gratiae mortem Didonem suam addituram esse, cuius promissi atrocitatem quis non miretur Annam ne verbo quidem aversatam fuisse? Immo magnos conieci reginam promisisse montes auri argentique aliorumque praemiorum in tam exigui beneficii gratiam. Cf. Pers. III 65 (ubi v. O. Iahn) Plauti mil. IIII 2, 73 Ter. Phorm. I 2, 18. De litterarum autem archetypi codicis ambiguitate infra ita disputabo, ut de probabilitate coniecturae quae dicitur externa dubitari nequeat.

Duos versiculos quibus quintum librum concluserat Vergilius quod initium sexti esse maluerunt amici, si Homeri exemplo (η. ν) tantum quantum Servius tribuerunt, non animadverterunt, qui Homerica carmina collegerunt haec exordia cum sequentis orationis filo ita sive ipsos contexuisse sive contexta invenisse, ut separari inde non possent. Quod aliter instituit Vergilius, qui tertium quoque librum sic finivit: 'sic pater Aeneas', ad reginam autem sequenti demum transiit, item quartum his: 'sic ait' e. q. s., et similiter decimum. Itaque laudandus videtur Probus, quod ordinem a poeta relictum restitui voluit, quamquam nec magni referebat nec secuti eius auctoritatem sunt qui nostros codices conscripserunt. Vitiosum enim, ut apud Servium ad Aen. IIII 1 extat, ex abrupto transitum iudicantes vinculo aliquo coniungi inter se libros quoque voluerunt. Cf. Serv. ad IX 1.

Schedarum versuumque ordinem aliquotiens iam a primis editoribus turbatum esse in emend. Vergil. 6. 10 sqq. suspicatus sum, quorum ab opera si nostrorum codicum origo repetenda sit, parum omnino accurate et prudenter officio functos indicaverim.

Caput VIII.
De obtrectatoribus Vergilii et de Q. Asconio Pediano.

Obtrectatores Vergilio non magis defuerunt quam Homero. *Bavius* et *Maevius* et *Anser* numquid scripserint adversus inimicum non constat, nisi quod 'hordea' ecl. V 36 et ge. I 210 plurali numero usurpatum Bavius et Maevius a Servio ad ge. I 210 hoc versiculo castigavisse narrantur:

hordea qui dixit, super est ut tritica dicat.

Sed veriora tradidit Cledonius p. 1898, qui huius versiculi auctorem laudat *Cornificium Gallum*, qui num re vera *Galli* cognomine fuerit (quod hoc solo loco ei tribuitur) dubitari potest, quia facile Cornelii Galli poetae memor sive grammaticus sive eius glossator falsum cognomen adscripserit, id quod Ungerum quoque (de Valgii Rufi poem. p. 392) suspicari video. Audacius enim Merkelius prolus. ad Ibin p. 365 ex eclogae V 8 'montibus in nostris solus tibi certat Amyntas', ubi Amyntam per ironiam Cornificium intellegi monet Servius*), vicinum hunc in agro Mantuano sive Cremonensi (ubi tamen ne sunt quidem montes) Vergilii ideoque ut Furium Bibaculum a scholiastis Horatii ita a Cledonio Cornificium coniecit cognominatum fuisse Gallum. Itaque nolim confidentius eis adsentiri, qui librorum de etymis deorum auctorem *Cornificium Longum* diversum fuisse a poeta *Cornificio Gallo*, si dis placet, statuerunt (cf. Weichertus poett. Latt. rell. p. 166 Merkelius prolegg. ad Ovidii fast. p. XCVIII Io. Beckerus in Bergkii ephem. a. 1847 p. 1065 Lud. Schwabe quaestt. Catull. p. 300).

Sed qualicumque cognomine fuit versiculi illius maligni auctor, quin poeta Catulli aequalis et familiaris fuerit nemo dubitavit. Cuius in arte poetica studia cum eadem fuerint quae Catulli Cinnae Anseris Catonis (cf. Catull. 38 Ovidius trist. II 428 sqq.)

*) Cf. idem ad ecl. II 39.

erant, scripta autem contra Vergilium expressis verbis Servius ad ecl. II 39 his agnoverit 'Amyntam Cornificium vult intelligere, quia conatus est contra Virgilium scribere' (nam Vergilius utrum Amyntae ecl. II 35 [39] V 8. 15. 18 an Codri ecl. V 11 VII 22 an neutro nomine Cornificium significare voluerit non curo), multo dignius fide Cledonii testimonium quam Serviani commentarii adnotatiuncula, qua ad binos auctores unus versiculus refertur.

Nec versibus tantum, sed prosa quoque oratione de eclogis Vergilianis commentatum esse Cornificium statuendum esset, nisi corrupta apud Philargyrium ad ecl. III 106 haec essent: 'dicit *Cornificius* ab ipso Virgilio audisse [se], quod Caelium Mantuanum quendam tetigit, qui consumptis omnibus facultatibus nihil sibi reliquit nisi locum trium ulnarum ad sepulturam'*). Mortuus scilicet est anno 713 Cornificius noster, ut Hieronymi testimonio constat. Eclogas autem cum inter annos 712 et 715 scripserit Vergilius, primas ille statim (et est sane etiam ante quintam scripta tertia) ipso anno 712 non carpsisse tantum, sed quodammodo etiam illustravisse deberet. Quid autem? Vergiliumne ipsum obtrectatorem et inimicum secreti participem fecisse? statimne vero simulac fixit crucem grammaticis? Admodum igitur memorabile, quod non Cornificium, sed *Cornutum* appellant scholia Bernensia ad l. l., quamquam ab ipso Vergilio ne hunc quidem solutam quaestionem audivisse credibile, qui cum anno p. Chr. 68 in exilium missus sit, anno ante Chr. 19, quo mortuus est Vergilius, ne natus quidem, nedum cum poeta clarissimo de doctis quaestionibus confabulatus esse statuendus est. Quae cum ita sint, aut corrigendum et apud Philargyrium et in scholiis Bernensibus sic fere: 'dicit *Cornutus* ab ipso Vergilio audisse [*Asconium*] quod Caelium Mantuanum tetigit' e. q. s. tum autem reliqua omnia, etiam quae apud Servium leguntur, Cornuto reddenda, aut ex varie in utroque fonte corrupta memoria eliciendum erit aliud nomen, velut *Cornelii*, quando CORNEL a CORNIF (v. schol. Bern.) non longius abest, *Cornificius* autem ex his, quae apud Philargyrium secuntur, factum esse videtur: 'item Oledius Naso orificium ait, quia tantum caelum patere videtur quantum

*) Varia codd. Laurentiani plut. 45 n. 14 (*L*) et Parisini 7960 (*P*) scriptura teste G. Thilone haec est: cornif *LP* abisso *LP* adisse, *om.* se *LP* quam *P* celium *P* relinquit *LP* ulnarū spatiū *LP*.

orificium patet'*). Cornelium, autem non Celsum, georgicon interpretem, dico, qui ne ipse quidem Vergilii satis aequalis fuit, sed *Gallum* familiarissimum, poetam et oratorem, qui vel carminum loco aliquo, nisi alia reliquit, aenigmatis illius potest mentionem fecisse. Ceterum apud Philargyrium quae leguntur hausta sunt ex Q. Asconii Pediani contra Vergilii obtrectatores libro, cuius ipsa verba paulo post et in illis et in Servianis et Bernensibus scholiis repetuntur. Non enim video cur diversa ab illis quae supra descripsi his Philargyrii ad l. l. verbis contineri Madvicus in disp. de Asconii commentariis p. 8 adn. putaverit: 'item Asconius Pedianus ait se audisse Vergilium dicentem in hoc loco se grammaticis crucem fixisse: quaesituros eos, si quid studiosius occultaretur. dicit autem poeta Coelium Mantuanum'**). Nam ultima quoque Asconii esse docet Servii adnotatio verbosior haec: 'sane haec quaestio varia est. nam alii dicunt significare eum sepulcrum *Caelii* luxuriosi cuiusdam, qui venditis omnibus rebus et consumptis tantum modo sibi spatium reservavit quod sepulcro sufficeret, et voluisse eum errorem facere ex caeli et Caeli similitudine, ut sit: dic mihi, ubinam sepultus est Caelius, cuius tribus ulnis continetur sepulcrum .... Asconius Pedianus dicit, se Vergilium dicentem audisse, in hoc loco se grammaticis crucem fixisse, volens experiri, quis eorum studiosior inveniretur, volens intelligi de *Caelio* Mantuano, ut supra dictum est.' In quibus, cum Asconium viginti fere annis post mortem Vergilii natum esse probaverit Madvicus, necesse est auctorem fabellae ab Asconio in commentariis traditae librariorum culpa intercidisse, illum autem haec fere ex nescio quo Cornelii libro hausisse:

'dicit Cornelius se audisse Vergilium dicentem in hoc loco se grammaticis crucem fixisse, ut experiretur quis eorum studiosior inveniretur. tetigisse autem Caelium Mantuanum quendam, qui' e. q. s.

*) oledius *L* olèdius (e. *corr. in* i) *P* ouidius *schol. Bern.* nasso to rificiū *L* na. so. ori ficium *erasis* s *et* t *P* naso torificium *schol. Bern.* ait, quia *Muellerus* ait qui *schol. Bern.* atque *LP* orificium *erasa* t *P* torificium *L*, *sch. Bern.*

**) dī (*i. e.* dicitur *P*) aut prorcaelū mantuanū *LP*, in quibus alterum Caelii nomen latere videtur.

De aliis Vergilii obtrectatoribus pauca sed ea valde memorabilia tradidit Suetonius in vita p. 65 sq. R. Nam statim '*bucolicis* prolatis innominatus quidam rescripsit *antibucolica*, duas modo eclogas, sed insulsissime *παρῳδήσας*, quarum prioris initium est:

> Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmina fagi?

sequentis:

> dic mihi, Damoeta, cuium pecus anne latinum?
> non: verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.'

ubi 'cuium' forma carpitur (cf. Serv.): ergo non interpungendum post 'pecus'.

Itaque primam et tertiam Vergilii eclogam ille cavillatus est, ut diversum ab hoc *Vergiliomastiga* fuisse par sit, quem secundae eclogae v. 22 maligna distinctione sic corrupisse Servius memorat: *lac mihi non aestate novom, non frigore: defit.* Sed illius non ausim dicere utrum nomen aliquod velut *Numitorius* in codicum litteris corruptis *nūinatorus* et *numinatoris* lateat an ne Suetonio quidem notum fuisse Daniel, cuius *innominatus* coniecturae Reifferscheidius subscripsit, recte statuerit. Minus huc pertinet quod alius Hesiodei ex opp. 391 versus ignarus recitante Vergilio ex *georgicis* I 299 '*nudus ara, sere nudus*' insulsum hemistichium '*habebis frigore febrem*' subiecisse narratur (cf. Servius).

Integer vero adversus Aeneidā liber extitit *Carvili Pictoris* titulo *Aeneomastix*, unde fortasse desumpta inepta apud Servium adnotatio, qui ad Aen. V 521 haec memorat: 'culpat hic Virgilium Virgiliomastix. artem enim in vacuo aëre ostendere non poterat; quamquam dicant periti posse ex ipso sagittariorum gestu artis peritiam indicari'.

Alii diligentius scilicet materiam suam administrantes singula totius causae quasi capita tractanda sibi sumpserunt: ex quibus *Herennius* quidam tantum *vitia*, sed ea non sermonis tantum, ni fallor, *Perellius Faustus furta*, h. e. quae ex aliis poetis sive Graecis sive Romanis tam in verbis quam in rebus mutuatus erat poeta, contraxit; cuius quaestionis partem aliquam penitus exhausisse videntur quae item Suetonii aetate extiterunt *Q. Octavi Aviti homoeon elenchon octo volumina*, quae quos et unde versus ex Latinis puto poetis transtulisset continebant.

Digitized by Google

Iniquissimum denique fuit *M. Vipsanii* dictum*), quem miror Bernhardyum in hist. litt. Rom. adnot. 177, postquam satis recte ea de re Weichertus poett. Latt. rell. p. 275 disputavit, a nobilissimo M. Vipsanio Agrippa probe distingui iubere. Qui etsi 'rusticitati propior quam deliciis' Plinio n. h. XXXV 4, 9 dicitur, tamen ut qui Horatii carmine laudes suas celebrari cuperet (cf. Hor. carm. I 6) non tam a Musis alienus erat, ut non Maecenatis calamistros virum bello et negotio natum risisse credibile sit. Sed eundem non minus facile credemus sive malignorum hominum dictis inponi sibi passum sive simultate quadam inter ipsum et Maecenatem eiusque familiares orta (cf. Dio 54, 6) sive per varii sermonis locationes novam multis nominibus inauditamque Vergilii artem eadem iudicii perversitate damnavisse, qua doctiores eo obtrectatores damnaverunt.

Maius interpretatus est *Melissum*, cuius de Agathyrsis notitia ad Aen. IIII 146 et de apibus libro ad VII 66 usus est Servius. Et potuit sane idem, Aelius, ni fallor, qui Gellii (XVIII 6) memoria Romae 'summi loci inter grammaticos . . praeter alia quae scripsit complura' de loquendi proprietate librum composuit, non Caius Maecenatis libertus, ineptiarum auctor CL libris collectarum, quibus sane 'et alios diversi operis postea addidit' (Suet. de ill. gr. 21), nescio quo loco etiam ad illam Vergilii de Selinunte vocem commentandam adduci.

Restat Philargyrii de *coniurato Istro* ad ge. II 497 locus, ubi si *Aufidius Modestus* nomen recte legitur*) nec aut interpolatum aut ab ipso scholiasta valde incertae aetatis temere mutatum est, hic quidem procul a nostra disputatione habendus et statuendum erit, Philargyrium quoque, cum hunc Aufidium, alterum ut nobiliorem simpliciter Modestum appellaverit, cavisse ne confunderentur auctores. Neque enim propter hunc solum locum Iulium nostrum a commentando Vergilio prorsus alienum fuisse concesserim Suringaro hist. crit. schol. Lat. II 239 et Buntio (de Hygino p. 14 adn.). Sin Aufidii nomen careat fide, certe illa quoque notitia grammatico nostro dignissima sit. Nam ut digniorem illo Modesto habeamus, qui de vocabulis rei militaris librum ad Tacitum Augustum conscripsit (cf. Graefenhanius IIII 426), causa gravior nulla est.

Ceterum in orthographico quoque genere quaedam praecepit Iulius, quae in Vergiliano textu describendo non neglecta sunt. *Tus* quia *ἀπὸ τοῦ θύειν* tractum esset, cum aspiratione scribi voluit (Charisius p. 58) et aspiratum legitur Aen. VIII 106 et XI 481 in codice Romano, sed eo solo. *Inchoo* dicendum falso putabat, quia esset 'compositum a chao, initio rerum' (Diomedes p. 361 P.), nec aliter sensit Scaurus de orthogr. 2251 P.: et legitur *inchoat* ge. III 42 in *Rybc*, cum aspirationem postremae syllabae, quam Verrius Flaccus et Suetonius Tranquillus et Probus (Cathol. p. 38, 27 K.) probaverunt ('*cohum* enim apud veteres mundum significat, unde subtractum *incohare*') Mediceus et Palatinus illo quidem loco praebeant. Quamquam Aen. VI 252 solus Palatinus sibi constat, sed Modesti rationem acceperunt *FMc*,

*) Testis huius loci solus est Vaticanus 3317, in quo legi sane *aufidus modestus* docuit Thilo.

H
quibus eadem manu correctus *R* accedit, ubi INCOAT extat: neutrius a partibus stant *yb*, qui *incoat* habent, quae videtur Gellii aetate (II 3) vulgaris consuetudo fuisse.

Denique *y* vocalem Graecis vocabulis necessariam a Latinis procul habuisse Modestum si ex Charisii p. 80 P. (103, 28 K.) verbis recte elicimus, in hac quoque re videtur Verrio Flacco adversatus esse, qui eandem esse apud Romanos *u* litteram, quae apud Graecos *υ* esset, exemplis probavisse fertur a Velio Longo p. 2215. Ergo ubicumque apud Vergilium in Graecis vocabulis *y* servant codices, Iulii Modesti, ubi *u* vocalem substituunt, Verrii Flacci auctoritatem agnoscemus. At poeta ipse aurium, ni fallor, non grammaticorum iudicium secutus est.

§ 5.

De *L. Annaeo Cornuto* disseruerunt O. Iahnius prolegg. ad Persium p. VIII sqq. et Villoisonus in prolegomenis ad Cornuti de natura deorum librum quae auxit Osannus. Scripsit Persii et Lucani praeceptor, philosophus idem et rhetor et grammaticus, *Aeneidos commentarios*, quorum a Charisio p. 102 memoratur *liber decimus*, nec diversus ab eo habendus qui paulo ante p. 100 ab eodem memoratur eiusdem *ad Italicum de Vergilio liber X.* Italicum recte intellexerunt *Silium* poetam inter principes civitatis honesto otio fructum, qui quanta Vergilium veneratione coluerit cum ipsi ex diligentia qua imitatus est illum aestimare possumus tum Plinius aequalis in epistola III 7, 8 descripsit. 'Nam Vergilii imagines ante omnes quas coemerat venerabatur diemque natalem eius religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monimentum eius adire ut templum solebat.' Quam pietatem Martialis duobus epigrammatis XI 48 sq. praedicat, quorum posterius sic restituendum censeo:

> iam prope desertos cineres et sancta Maronis
> nomina qui coleret, pauper et unus erat.
> Silius orbatae*) succurrere censuit umbrae:
> filius ut**) vatem, non minor ipse, colit***).

---

*) optatae *codd.*
**) Silius et *codd.* Silius ut *ed. Ferrariensis a.* 1471 Filius en *Heinsius.*
***) non minor ipse colit *Parisini margo* non minus ipse tulit *codd.*

Huius igitur studia Cornutus in praefatione, ni fallor, decimi commentariorum Aeneidos libri laudans aemulos Vergilii etiam inter nobiles viros tam praeclaro exemplo excitari quam sincere atque ex animo dixerit quaerere non attinet. Sed verba eius apud Charisium p. 100 haec sunt: 'iamque exemplo tuo etiam principes civitatium, o poeta, incipient similia fingere.' Probabilis autem videtur Iahnii l. l. p. XV coniectura, non versuum ordinem secutum perpetuos, quos dicimus, commentarios Cornutum scripsisse, sed quaestiones singulas per libros divisas tractavisse. Itaque decimo in libro cum 'hospitio Didus exceptum esse Aenean' (Charis. 102 P.) narraverit, cur hunc potissimum Punicorum auctori Silio dedicaverit causa patet: ac fortasse in eodem cum Didonis fabulam longe celebratissimam (cf. Macrob. V 17, 5 sq.) accuratius perscrutaretur, etiam haec quae Macrobius Sat. V 19 vituperat de crine moribundae reginae ab Iride absciso (Aen. IIII 700 sqq.) adnotavit: 'unde haec historia, ut crinis auferendus sit morientibus, ignoratur: sed adsuevit poetico more aliqua fingere ut de aureo ramo' (VI 141). Quibus quae opponit Macrobius, non de nihilo fabulam fictam esse, sed pudere 'quod tantus vir, Graecarum etiam doctissimus litterarum, ignoravit Euripidis nobilissimam fabulam Alcestin' e. q. s., haec ut alia ex Servii commentario, quem ille integriorem legit, hausta esse conicio: cuius in nostris quoque reliquiis et ad v. 703 eadem de Alcesti Euripidis notitia et ad v. 694 etiam verba prorsus Macrobianis similia leguntur, quae sic habeto ex adverso sibi posita:

Macrobius:	Servius Danielis:
in hac enim fabula in scenam Orcus inducitur gladium gestans quo crinem abscidat Alcestidis, et sic loquitur: ἡ δ' οὖν γυνὴ κ. τ. λ. (v. 73—76)	alii dicunt Euripidem Orcum in scenam inducere gladium ferentem, quo crinem Alcestidi abscindat. Euripidem hoc a Poenia antiquo tragico mutuatum. (Ubi *Phroenicho* pro *Poenia* corrigendum esse vidit Iahnius mus. Rhen. IX 558 et persuasit Nauckio trag. Graec. fr. 558.)

Quae autem antecedunt apud Servium 'trahit hoc de Alcesti Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam secantem, quia fato peribat mariti', nisi commentatoris arbitrio Orci loco Mercurius

ψυχοπομπὸς positus sit, vide an ad ipsam Phrynichi potius Alcestin spectent. (Cf. Mureti v. lectt. IIII 16.)

Sed Cornutus noster quod brevissimam aurei rami mentionem in illa adnotatione fecit, putandus est alio loco de hoc figmento plura disseruisse, ut ex huius fortasse commentariis crimina sumpta sint, quae tangit Servius ad Aen. III 46: 'sane putatur non veri simile iaculis coniectis puerum occisum . . . . vituperabile enim est poetam aliquid fingere, quod penitus a veritate discedat. denique obicitur Virgilio de mutatione navium in nymphas, et quod dicit per aureum ramum ad inferos esse descensum; tertium, cur Iris Didoni comam secuerit. sed hoc purgatur Euripidis exemplo, qui de Alcestide hoc dixit, cum subiret fatum mariti.' (Cf. idem ad VI 136 IX 79. 82.) Itaque minus veri similia quae finxisse videretur Vergilius collegisse et examinavisse suspicor Cornutum, ut par erat stoicum in ἱστορικῷ versari, quod secundum Cratetis disciplinam inter tria critici munera primum erat. (Cf. Sext. Emp. adv. math. I 252 sq. Wachsmuth de Cratete Mallota 10.)

Qui omnino vituperandi et cavillandi poetam satis studiosus erat. Abiecta, sordida, indecora eum congessisse et ambitiosius quam prudentius diiudicasse satis multa docent exempla: vituperavit eo nomine *vexasse* ecl. VI 76, *inlaudati* ge. III 5, *auro squalentem* Aen. X 314, quae Probum defendisse videbimus (cf. Gell. II 6 et Servius ad locos ll.); indecenter columbam, sacram matri suae avem, Aenean sagittis figendam constituere sensit (schol. Veron. Aen. V 488 coll. Servio ad v. 517) Homeri exemplo neglecto; quaesivit num indecore Achaemenides 'comes infelicis Vlixi' ab hoste Aenea dicatur (schol. Veron. Aen. III 691 coll. Servio ad 613 et 691, qui Cornuti criminationem et excusationem Aspri conflavit). Itaque recte Ruhnkenius apud Koenium praef. ad Greg. Cor. p. VIII apud Servium ad Aen. X 547 'dixerat ille aliquid magnum' in his: '*Corinthus* ut sordidum improbat' *Cornuti* nomen restituit probavitque Iahnio prolegg. ad Pers. p. XVIII, unde novo exemplo discimus Graecorum auctorum usu non valde fuisse imbutum videri grammaticum, qui proverbialis Graecorum locutionis μὴ μέγ' εἴπῃς apud Servium laudatae (de qua cf. Lobeckii ad Soph. Ai. 386 copias) fuerit immemor.

Ceterum non constat, haec in commentariis Aeneidos tantum prolata esse. Etiam in librorum quos *de figuris sententiarum*

composuit *secundo* curiose scrutatus laudatissimos illos propter verecundam periphrasin versus Aen. VIII 405 sq. de Volcani et Veneris concubitu, cum universum figurae genus ipse quoque probaret, paulo tamen incautius *membra* nominata arguit (cf. Servius ad l. l. Gellius IX 10). Cum autem Charisius p. 245 et Diomedes 456 P. eodem circuitus, quo decenter vitetur obscenitas, exemplo utantur, fortasse ipsi vel eorum auctor aliquis Cornuti de figuris sententiarum libros excerpserunt, ut possint indidem haustae esse duo aliae periphrases Aen. IIII 584 et ge. III 135, quorum illam uterque, hanc Diomedes solus laudavit nec praeteriit ad ge. l. l. Servius. Atque figuratae locutionis exemplum *mactandi* quoque verbum rettulisse videtur: de quo quae ad Aen. IIII 57 adnotavit Servius 'mactant verbum sacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum, unde et magmentum dicebant quasi maius augmentum' Iahnius prolegg. Pers. p. XIX contulit cum Placidi, Ioannis a Ianua, Papiae titulis, quibus *magmentum* Cornutus a mactando derivasse, mactare autem distrahere interpretatus esse perhibetur.

Alia apud Servium de quaestionibus a Cornuto solutis ex commentariis Aeneidos sumpta. Aen. I 488 permixtum principibus Achivis Aenean eodem artificio statuit, quo usum se esse hic II 396 narret verbis 'vadimus immixti Danais'. At docent eoae acies et Memnonis arma, quae statim secuntur, fefellisse Cornutum opinionem. Prudentius Aen. IX 675 'portam quae ducis imperio *commissa*' intellexit '*clausa erat*' collatis vv. 43 et 173 (Servius ad Aen. IX 675 et III 428). De versu Aen. IIII 178 quid vel senserit vel quaesiverit, propter schedarum Veronensium lacunam traditum non est, sed et Aspri quae servata est explicatione et Servii adnotatione probabile fit eum dubitavisse, utrum sic distinguendum esset: 'illam Terra parens, *ira inritata, deorum extremam . . .* progenuit' an '*ira inritata deorum, extremam*'. Et cum Asper, cuius verba apud scholiastam Veronensem Cornuti mentionem secuntur, coniunxerit 'ira inritata deorum', hic fortasse alteram praetulerat rationem, qua 'deorum extrema' Fama dicitur, et consentaneum erat 'Hellenicae theologiae' auctorem diligenter de hoc potissimum versiculo disserere. In Serviano commentario num quid inter conflatas explicationes diversas Cornuti servatum sit non liquet, nisi quod stoicum allegoristam probabile est inter eos Vergilii interpretes fuisse, qui ex altioris

doctrinae recessu mystico quodam sensus poetae elicere studuerunt. Quam in rem accuratius inquirant alii.

Neque commentando tantum et distinguendo, sed emendando etiam verborum textui operam ille dedit. Ac libri sui scripturam singularem ad Aen. IX 348 protulit 'et multa *nocte* recepit', ubi cum adnotaverit Servio teste 'utrum *nocte* pro *morte?* an eum multa nox esset?' vulgatum *morte* pro glossemate habuisse putandus est. Dubito utrum coniectura an codicis auctoritate Aen. I 45 'verius' esse, 'ut sit vehementius', iudicaverit 'scopuloque *inflixit* acuto' quam omnium librorum nostrorum *infixit*. Posse illud simili Aen. X 303 exemplo commendari adnotavi, fortius tamen esse nego. Recte repudiavit, quod 'multi invenisse se' dicebant (ut Servius ait) Aen. I 150 'iamque faces et saxa *volunt*' pro *volant*.

Continuae tamen recensionis Cornuti auctoritate commendatae vestigia nulla in libris nostris reperiuntur, nisi quis forte scholiastae Veronensis ad Aen. XII 470 haec 'excutit et longe lapsum temone reliquit' laceram notationem '—*t in Corn.* et —uit, ego reli—' de Cornuti editione aliqua interpretari animum induxerit. Ubi si commentator idem legit, quod in codice Veronensi rescripto extat, RELINQVIT, alter ille *Corn.*, quem sane *Cornutum* probabilius quam *Cornelium* intellegi supra p. 28 dixi, fortasse RELIQVIT praetulerat, quod in *PRybc* et a manu priore etiam in *M* legitur. Et solent Cornuti sententiae refelli in scholiis Veronensibus: ad ecl. VI 9 Aen. V 488 coll. IIII 178.

Tam igitur pauca sunt quae de Cornuti studiis in Aeneide commentanda positis accepimus: sed nec bucolica nec georgica prorsus ab eo neglecta esse vel Gellii locus II 6 supra laudatus docet. Praeterea vero bis in Veronensibus scholiis ad ecl. III 40*) et VI 9**) sententiae eius tales refutantur, quas vix alio loco atque in commentario eclogarum protulisse iudicandus sit. De scholiorum Bernensium ad ecl. III 105 testimonio quodam supra p. 97 dixi, ubi Asconii Pediani operam Vergilianam adumbravi.

---

*) 'in medio duo signa] in medio Cornutus sic aestimat dic[tum esse ut illud] in medio mihi Caesar erit, pro eminebit.'

**) 'non iniussa cano] Cornutus putat hoc ad musas pertinere, sed illud magis accipiendum, Cynthius aurem vellit et admon[uit, scilicet quia iussu Au]gusti admonitus sit ut bucolica scriberet.' Servius: 'non iniussa cano, vel ab Apolline vel ab Augusto [vel a Maecenate].'

Porro quod in Placidi glossis (A. Mai auct. class. III 476) legitur '*ingluviem* Cornutus ventrem, Plinius edacitatem' Iahnius prolegg. Pers. XVIII coniecit spectare ad ge. III 431 'piscibus atram inprobus ingluviem ranisque loquacibus explet'; et sequitur Cornuti mentem Servius 'ventris capacitatem' explicans, cum 'gulam' intellegens Philargyrius Plinii videri possit explicationem praetulisse. Et hic quidem in dubii sermonis libris, de quibus nuper Alfredus Schottmueller (de C. Plinii Secundi libris grammaticis) disseruit, ubi quaerebat utrum inluvies an ingluvies scribendum esset, Vergiliani loci mentionem fecisse potest. Cornutus vero eandem rem in libris vel libro *de enuntiatione vel orthographia*, quos Cassiodorus p. 2281 sqq. P. excerpsit, tractare poterat, ut in Agroetii de orthographia libello p. 2271 illuvies et ingluvies discernitur: 'illuvies sordium est, ingluvies ventris; illud a non lavando, hoc ab inglutiendo dictum.' Itemque quod ad ge. I 277 Servius adnotavit 'Probus *orchus* legit, Cornutus vetat aspirationem addendam', nescio an ad illum de orthographia librum spectet: nam Probi quoque non commentarii Vergiliani, sed Catholica (p. 1455. 1465 coll. Servio ad ge. III 223) intelleguntur. Denique ex Bernensi codice CCCLXX Lucani Hermannus Usener (de scholiis Horatianis. Bernae 1863) scholion ad Lucani I 214 hoc exhibuit: 'Porfirion *puniceum* interpretatus est . . . Cornutus vero sic. quasi puniceum lapidem habens aut ripas.' Statuit autem in commentario Vergiliano vel ad ecl. VII 32 vel ad Aen. XII 750 ad Lucani versum digressum esse Cornutum. Alia de Cassiodori excerptis indici nostro grammatico reponimus.

§ 6.

Iusto commentario Vergilii carmina primus *Aemilius Asper* instruxisse videtur, de quo Bergkius in diariis suis a. 1845 p. 118 et O. Iahnius in prolegomenis ad Persium p. CXLIV sq. disputaverunt, ego breviter pauca contra Riesium monui in annall. philoll. 1863 p. 352 sq.

Est igitur interpres ille Terentii Sallustii Vergilii inter praestantissimos bonae aetatis grammaticos habendus, quippe quem cum Scauro et Probo componat Ausonius epist. XVIII 26 et in praef. ad Syagrium 20, grandia nomina laudans. Eundem Augu-

stinus de util. cred. 17 iuxta cum Cornuto et Donato commemorat. Cum autem refellerit Cornuti opinionem quandam (schol. Veron. Aen. III 691: nam ad IIII 178 quae inter utriusque sententias ratio fuerit non liquet), post hunc scripserit necesse est. Probo maior natu fuit, si qui huius nomine circumfertur commentarius ad bucolica et georgica in ea saltem parte, in qua Aspri auctoritas bis commemoratur, recte Berytio vindicatur: et hunc potissimum eruditione insignem esse nemo negabit. Itaque recte videtur in schol. Veron. ad Aen. IX 373 et apud Servium ad Aen. X 539 Aspri nomen ante Probum commemorari: quamquam talia testimonia haud ignoro nimis ambigua esse. Novum testimonium bis emendando Ἄσπερος pro Ἄπερος Bergkius ephem. antiquitt. 1845 p. 125 elicuit ex Suidae de Heraclide Pontico notatione, Aristarchi sectatorem fuisse Asprum, qui Claudio imperatore celeber grammaticus Romae fuerit, cumque Didymum Alexandrinum in scholis acriter carpsisset, huius alumnum Heraclidem Ponticum Phalaecio metro quaestiones lescharum titulo composuisse, quibus Romano grammatico detraheret. (Cf. Meineke anal. Alex. 377 sqq. et quae de Canobo ab Heraclide in etym. Gud. p. 297, 49 et in Servianis scholiis ad ge. IIII 287 et Aen. XI 263 traduntur.) Suetonius autem quod nullam tam inlustris grammatici mentionem fecit, inde factum esse statuit, quod ille Cratetis disciplinam sectatus huius inter aequales principem quam adversarium maluerit memoriae commendare. Sed de hac ingeniosi viri coniectura videant alii: cf. Wachsmuth de Cratete Mallota p. 7, Riese de Probo p. 9.

Nec indoctum criticum et interpretem produnt veterum testimonia, quorum cum longe maxima pars ad Aeneida spectet, tamen nonnulla in bucolicis quoque et georgicis versatum esse docent. Semel in schol. Veron. (Aen. IX 386 p. 101, 17 K.) sic '*in Asp.*' laudatur, quod '*in Aspri*' sc. commentario interpretandum, ut apud Servium ad Aen. I 21, quem contulit Keilius, '*in Probi*' legitur, utque '*in Cornuti*' earundem schedarum Veronensium compendium supra supplevimus.

Criticus quidem tenax erat traditae lectionis, qui interpretandi magis subtilitate quam coniectandi periculo confideret. Tuebatur collato Sallustii exemplo, quod quam simile fuerit nos diiudicare iam non possumus, *insignibus armis* quod Aen. X 539 in *MP2Rγbc* extat. Et hunc locum cum emendandum reliquerit Probo, alius loci Aen. VII

543 *caeli convexa per auras* mirum est quod persuasit homini acutissimo perversam explicationem, qua his accipiendam *per* praepositionem statuit. Nec magis probandum, quod Aen. X 188 *crimen amor vestrum* interpretatus est 'o Phaethontiades sorores et o Cycne, *causa* vestrum, i. e. vestrae mutationis, amor est.' Cuius similis, quamquam paulo prudentior Wagneri ratio est, qui pinnarum olorinarum *causam* amorem intellegit. Sed pinnae potius Amoris quam hic illarum crimen dicendae erant. Nam quod comparavit Asper Aen. II 65 'crimine ab uno disce omnis' sc. insidias, recte unum quod Danais obicitur crimen instar omnium haberi iubetur, nec 'crimina belli' VII 339 causae quibus efficitur, sed quibus excusatur bellum dicuntur.

De 'quaestionibus vel maximam' moveri sensit loco, quem inter insolubiles vel emendandos Servius rettulit, Aen. IX 362 sq., ubi delere non ausus interpolatum versum 363 Rutulos Rhamnetem solum, nepotem autem v. 362 significatum, quem Rhamnetem debebat intellegere, Remulum avi cognominem dici finxit*).

Discessisse Asprum a recepto textu duobus exemplis accepimus, quorum uno verum restituisse eum indico, cum Aen. X 673 nescio utrum ex libro an coniectura legerit *quosne,* quod non spretum est ab eis, qui Bernensis codicis *b* et Leidensis auctores fuerunt, cum in *Pγc* repudiatum ab eo *ve* servatum sit. (Servius: cf. idem ad I 39.) Cur tamen et quo fretus testimonio v. 737 *viris* quam *viri* maluerit non patet; nam futile est quod additur apud Servium: 'ut sit *aliis haud temnenda*' (vulgo: 'ut ait all'), 'alioqui ipse ait v. 732 *haut est dignatus*' e. q. s. Sed fortasse ad illa 'seque viro vir contulit' (734) respexit, et extat Aspri lectio etiamnunc in *b2cmχ* et in Menagianis.

Doctam eius de genetivo nominum in *eus* exeuntium adnotationem repetiit Servius ad Aen. VIII 383, quacum conferenda quae ad I 30 eodem ni fallor auctore docentur. Commendavit enim et illustravit et Sallustii *Persi* exemplo firmavit genetivos *Achilli Neri,* nec fere dubitandum quin eidem placuerint hi: *Oili Promethi Teri* et paulo sane dissimiles *Vlixi Oronti Achati,* quibus de formis quae nobis servata sunt testimonia infra com-

---

*) Schol. Veron. coll. Asp. 113, 8 K. Secutus Asprum Servius et hic et ad Aen. IIII 661.

posui, ut quid in textu Vergiliano constituendo Aspri auctoritas valuerit hoc exemplo appareat*). Disputavisse de eadem quaestione Plinium in librorum dubii sermonis sexto Charisii p. 107 excerpta docent, atque hoc ex fonte fortasse Priscianus p. 706 hausit. Ceterum cf. Buechelerus mus. Rhen. XV 437. Num de dativis quoque *Orphi* ecl. IIII 57 ge. IIII 545. 553 et *Mnesthi* Aen. V 183 noster praeceperit, traditum non est.

Dubito num probaverit Asper quam Servius ad Aen. XI 801 antiquam lectionem dicit 'nec *auras* nec sonitus memor' prae hac '*aurae*'. Nam verbis quidem scholii nostri**) nihil evincitur, nisi *custodias* apud Sallustium pro genetivo habuisse Asprum, qui cum in Sallustium quoque commentarios scripserit, his videri possit Servius usus esse, ut *auras* genetivum commendaret. Sed memorabile tamen, *auras* illud in eis libris etiamnunc apparere, quos aliis quoque exemplis vidimus Aspri lectiones servare, Bernenses dico *b* et *c* et ex Menagianis alterum. Accedit, quod in ipso commentario Vergiliano ex Sallustio exempla adsumere solitum adnotationes ad Aen. X 539, de quo loco supra dicebam, et ad VIII 383 et IIII 178, quas infra tangam, testantur, eundemque archaismum vocabuli *quianam* ad Aen. V 13 et X 6 notavisse legimus in schol. Veron. (coll. Servio), et omnino grammatici animum in vocabulorum formas studiose intentum Charisii et Prisciani testimonia monstrant. Itaque *auras* genetivum Aspro placuisse putaverim, quod eum coniectandi libidine finxisse nemo statuet: immo 'antiquam', quamvis corruptam meo sensu 'lectionem' in libro aliquo invenisse probabile est.

---

*) Achatae *codd.* Aen. I 120 X 344
Achilli *Mybc* I 30, *Myabc2* III 87, *MRybc* VI 839
Achillei *F* III 87, *P* VI 839
Achillis *R* I 30
Neri *recc. codd.* VIII 383 Nerei *MPRybc*
Oili *M* I 41 Oilei *Rybc*
Oronti *FMR2ybc* I 220 Orontis *R1*
Prometei *codd.* ecl. VI 42
Terei *codd.* ecl. VI 78

**) 'nihil ipsa nec *auras* nec sonitus memor] haec est antiqua lectio. namque apud maiores trahebatur interdum a Graeco genetivus singularis. hinc est et paterfamilias et materfamilias, quae duo tantum nomina remanserunt. nam nec *huius auras* dicimus nec *huius custodias* secundum Sallustium, qui ait *castella custodias thesaurorum* pro *custodiae*. ita enim etiam Asper intelligit, licet alii *custodias* accusativum velint.'

In *distinguendo* textu sobrio ac simplici usus est iudicio: recte distinxit in ge. II 324 'vere tument terrae', ut subiectum esset *terrae*, item Aen. IIII 178, de quo loco in Cornuti studiis adumbrandis dixi, comprehendit *ira inritata deorum*, curque Terra, Famae parens, irata deis dicta esset exposuit (schol. Veron.). Scite coniungi voluit Aen. IX 30 'altus per tacitum Ganges', cum aliis 'surgens per tacitum' potius placuerit; pulcherrime incidit orationem Aen. XI 359 post 'cedat', ut subsequentia 'ius proprium' penderent a verbo 'remittat'. Et Arusianus Messus qui p. 249 L. laudavit 'veniamque oremus ab ipso: cedat' eandem secutus est rationem. De distinguenda oratione etiam Aen. X 567 dubitabatur, ubi Asprum, qui *ignem* oribus pectoribusque Aegaeonis ardentem animae ex ferocia calorem recte interpretatus sit (Serv.), manifestum est pausam fecisse post verbum *arsisse*, nec *ignem Iovis*, sed *fulmina Iovis* coniunxisse. Itaque admodum probabile videtur, adnotationem ad hunc versum, quae in schedis Veronensibus extat, quaeque in hac ipsa quaestione versatur, non ex Hateriani, ut Maius suspicatus est, sed ut aliae sat multae ex Aspri commentario desumptam esse. In qua cum laudetur Aen. I 42 'ipsa Iovis rapidum iaculata e navibus ignem', videndum num etiam quae de Iovis fulmine apud Servium docentur ex eodem fonte hausta sint. Addenda quae Macrobius V 22, 8 habet de eodem loco. His omnibus autem locis Aspri distinctio recepta est in librum Mediceum.

Sed idem ille sanis locis sanum et ipse sensum praestans grammaticus in corrupto versiculo Aen. IX 403 malebat credere 'adfectata structura' quarto loco positam esse particulam 'et' (idque persuasit Prisciano) quam sordes emendando abstergere. Cumque exemplis utatur Aen. II 369 et VI 254, dicimus eundem illic *pavorque* pro eo quod in nostris libris omnibus est *pavor* legisse pravam scilicet metri causa coniecturam secutum.

Transimus ad eam commentariorum partem, quae ad *interpretationem* maxime spectabat; eamque praevaluisse ita ut collectis diligenter ceterorum interpretum opinionibus maxime ut intellegerentur carmina curaret, Bergkius ephem. antiquitt. 1845 p. 118 ex Hieronymi apol. c. Rufin. 495 et Augustini de util. cred. c. 17 effecit. Exposuit igitur de vocabulis *sinum* (schol. Veron. ad ecl. VII 33 coll. Servio, Prisciano 714 Nonio 547, 18) *solium* (Serv. Aen. VII 169) *cruor* (schol. Veron. Aen. VIII 106

coll. Serv.) *torrens* et *montanum* flumen (schol. Veron. Aen. II 305 coll. Serv. et Aspri quaest. p. 112, 11 K.) *sublustri* (schol. Veron. Aen. IX 373 coll. Serv.) *quianam* (v. supra) ita ut vim et usum et originem docte illustraret. Minus probandum quod Aen. IX 418 *per tempus utrumque* idem esse voluit quod *inter* (Serv., qui ad alios quoque locos IIII 56. 663 VII 30 VIII 107 IX 556 eandem rationem adhibuit). Simplicius explicavit *quo munere* locutionem ge. IIII 520 (Philarg.) 'ob quam rem'; '*non nullius*' non levis numinis iram interpretatus est ge. IIII 453 (Philarg.). Illo versu 'semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est' ecl. II 69, in quo exultavit veterum commentatorum quorundam perversitas, rectissime sensit nihil nisi neglegentiam reprehendi, 'quia statim post vindemiam putant vites' (Philarg. coll. Serv.).

Nec transiit explicando vel faciliora: *geminas acies* de oculis dici (Serv. Aen. VI 789 cf. ad II 30) adnotavit, *inprudens* Aen. IX 386 quo spectaret quaesivit (schol. Veron. coll. Serv.); ex tribus quas proposuit verbi *sedebat* Aen. IX 4 notionibus elegit aptissimam eamque simplicissimam (Servius: cf. idem ad I 56 et Nonius p. 404, 21); bene dixisse poetam ge. IIII 238 *animasque in vulnere ponunt*, non *in vulnera* aut *in vulnus* demonstravit, quamquam verba ipsa grammatici in scholiis Bernensibus admodum turbata sunt.

Verum et reconditiora ex Graecorum poesi repetens cur et quo auctore *nomina mille* Furiae tribuantur Aen. VII 337 docuit (Serv.). Ingeniosius quam verius comparata Enniana metaphora 'succincti corda machaeris' Pandarum et Bitian *armatos ferro* (Aen. IX 678) intellexit 'ferrea corda habentes': fortasse quia proprie accepta nescio quid languere sensit poetae verba.

Subtili atque eleganti sensu artem poetae indagans animadvertit nec Allecto nec Cupidinem nec Mercurium, ubi iussa festinent, verbis respondere ei qui iusserat (schol. Veron. Aen. VII 341 coll. Servio ad I 689), adversus Cornutum autem defendens Aen. III 691 vel ab Aenea hoste *infelicem* Vlixem non indecore, sed magnifico et vere humano animo dici docuit (schol. Veron. coll. Serv.).

Idem tamen merito vituperavit poetam, qui Achillis in Lycaonem peremptum insultationem imitans Tarquiti corpus in campo iacens flumine mersum iri sine ratione praedixerit, cum apud Homerum Lycaon et fugisset ex flumine (Φ 35) et mortuus

ab Achille eodem reiectus esset (120), ut merito de hoc Achilles dicere posset ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ᾽ ἰχθύσιν et paulo post: Σκάμανδρος οἴσει δινήεις (schol. Veron. Aen. X 559). Videtur autem Asper, cum hunc locum tractaret, etiam alia exempla attulisse, ubi 'dum nimio studio Vergilius ad Homerum trahitur, neque temporis neque loci curam' habere videretur. Ac fortasse eadem attulit quae Macrobius Sat. V 13, 34 sqq., qui 'ignoscenda' ait 'talia Vergilio, qui studii circa Homerum nimietate excedit modum' (§ 40). Prorsus enim simili inportunitate flammam, quam inter hostium caedes Diomedi pugnanti ex galea et scuto Minerva apud Homerum incendit, Vergilius non modo dimicanti Turno IX 732, sed etiam ante bellum in armis incedenti VII 785 et Aeneae tribuit armis dona Volcani mirantis VIII 620 et in navi redeuntis ab Euandro X 270. Commemorat praeterea Macrobius insertos non suo loco X 101 Homeri de loquentis Iovis maiestate versus et fata ad illius exemplum Iliadis (X 209) in lancibus inposita (Aen. XII 725), quamvis periturum esse Turnum iam antea praedixisset Iuno v. 149; et de hoc quidem loco quaesitum esse Servii quoque cognoscitur adnotatione.

Neque historiam neglexit Asper. Mezentius quidem cur *contemptor deorum* dicatur minus recte videtur expediisse: refellitur enim apud Macrobium III 5, 9 allato ex Catonis Originibus loco, quem Vergilio in mente fuisse sane probabile est. Sed idem ex fonte illo hausit de *Tyrrho* pastore notitiam*), id quod fugit Henricum Iordan, qui prolegom. p. XXVIII minus circumspecte Niebuhrii de Servii ad Aen. VI 760 testimonio iudicium videtur amplexus esse. Verum est, non integra haec, quae in nostris scholiis leguntur 'Aeneas, ut Cato dicit, simulac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem, propter quod Turnus iratus tam in Latinum quam in Aeneam bella suscepit a Mezentio impetratis auxiliis' recte ad Catonem posse referri, sed resectis, quae e Vergilio a commentatore inportune addita sunt 'propter quod . . . auxiliis' quidni de Lavinia Aeneae uxore illum quoque tradidisse putabimus? Nam sequentia, quae ex adnotatione ad IIII 620 repetuntur, 'primo bello periit Latinus, secundo pariter Turnus et

*) Schol. Veron. Aen. VII 485: 'Asp. nomen *Tyrrhi* ab historicis traxit. Tyrrhum enim aiunt fuisse pastorem, aput quem *L(avinia)* delituit tum qum Ascanium timens fugit in silvas. hic Latini vilicus traditur fuisse.'

Digitized by Google

Aeneas; postea Mezentium intcremit Ascanius et Laurolavinium tenuit' manifesto Catonis sunt (cf. libri Originum primi fr. 10 et 11). Subsequentia vero 'cuius Lavinia timens insidias gravida confugit ad silvas et latuit in casa pastoris Tyrrhi', quae vides prorsus cum Aspri conspirare adnotatione 'ab historicis' tractum Tyrrhi nomen adfirmantis, quo magis probabile est auctore narrari quam eodem, cuius supra excerpta est historia, Catone? Cuius ex narratione sumpta haec quoque frustula Asper commentario suo, quo hic maxime Servium usum esse non inepte suspicabimur, inseruisse videtur; excipiunt enim quae supra descripsimus 'et illic enixa est Silvium. sed cum Ascanius flagraret invidia, evocavit novercam et ei concessit Laurolavinium, sibi vero Albam constituit (cf. fr. Catonis 13), qui quoniam sine liberis periit, Silvio, qui et ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium . . . . . postea Albani omnes reges Silvii dicti sunt ab huius nomine.'

Quaesivit porro de Potitiis et Pinariis, curque Herculei sacri *custos* Aen. VIII 270 praedicetur Pinaria domus causam non saltem ineptam excogitavit (Macrobius Sat. III 6, 13 coll. Serv. ad l. l.). De *Gya* quid ad Aen. XII 460 adnotaverit, ex schedarum Veronensium laciniis erui iam non potest.

Geographiae doctum exhibent quae de *Anienis* fluvii nomine et situ nec non de *Hernicis saxis* (schol. Veron. Aen. VII 683 supplendum ex Servio), de *Camerina* (schol. Veron. Aen. III 701 coll. Serv.), de *pictis* denique *Agathyrsis* (schol. Veron. Aen. IIII 146 et Serv. cf. eosdem ad ge. II 115) exposuit; cumque certum sit eum de Hernicis et Anagnia locum Aen. VII 683 commentatum esse, non nimis improbabile videtur, eruditissimam de nudis laevum pedem Hernicis (v. 689) quaestionem vel Macrobium Sat. V 18, 13—21 vel auctorem eius Servium ex Aspri excerpsisse commentario.

Denique quot mundi elementa statuisset Vergilius collatis similibus locis et Homeri auctoritate firmatis ad Aen. VI 724 exposuit (Probus ad ecl. VI 31 p. 15, 18. 19, 9 K. coll. Serv.), cuius sanae ac simplici sententiae quod copiosa, sed ea paulo argutiore disputatione adversatus est Probus, quanti faceret interpretis, quem ipse proxime subsecutus est, iudicium et doctrinam satis significavit.

'*Quaestionum Vergilianarum*' fragmenta Parisina ab H. Keilio ex codice saeculum sextum superante (cf. praef. p. XV) edita

Digitized by Google

tenuissima ex grammatici copiis excerpta sunt, recte tamen ad nostrum referri evincunt haec: p. 113, 8 'plurale contra ponit pro singulari . . . Euryalus faleras Rhamnetis e. q. s. (Aen. IX 359 sqq.) Rutulos posuit pro Rutulorum rege', quae conspirant cum schol. Veron. ad Aen. IX 363 'Asp. et hoc obscurum, sed hoc modo fiet lucidum: primum Rutulos accipere debemus Rhamnetem solum' e. q. s. Nam ceteris quos attulit Keilius locis nihil efficitur. Ergo comparatis diligenter singulis totius tractatus notationibus cum scholiis ceterorumque grammaticorum praeceptis etiam uberiores sive 'quaestionum' sive commentariorum Aspri reliquias licebit expiscari.

Quae in scholiis Bernensibus ad ge. IIII 238 Aspri auctoritate praecipiuntur, ex arte multo recentiore, quae apud Putschium p. 1725 sqq. extat, non ex commentario grammatici nostri neglegentissime excerpta esse demonstrabit emendabitque Hermannus Hagen Bernensis, olim alumnus meus, quem spes est iterum post Muellerum editurum esse commenta illa.

§ 7.

Nobilissimus omnium quotquot Vergilii carminibus operam dederunt grammaticorum fuit *M. Valerius Probus* Berytius, de cuius vita et studiis Suetonius de ill. gr. c. 24 memoriam servavit. Vixisse Domitiano imperatore, cum Martialis epigramma III 2 (v. 12) scripsit, mortuum esse antequam Suetonius libellum illum composuit, amicosque eius Gellium etiam medio saeculo p. Chr. n. altero vidisse monuit Alexander Riese (de commentario Vergiliano qui Probi dicitur p. 10).

Primum ut videamus qualem Vergilii *textum* Probus constituerit, certa hoc nomine testimonia perlustranda sunt haece. Atque optimis quibusque codicibus eum usum esse cum per se recte conicias tum georgicon primum certe librum manu ipsius poetae correctum se legisse ipse apud Gellium XIII 21, 4 adfirmat. In quo quod repperit '*urbisne*' ex nostris codicibus (*MPRγbc*) praebent *PRγ*. Cumque non minus confidenter ibidem de scripturis *urbes* Aen. III 106, *turrim* Aen. II 460 et *securim* Aen. II 224 adserat, his quoque locis optimae fidei exemplar videtur inspexisse. Extat autem *urbes* et *securim* in nostris libris omnibus; *turrim*, quod Priscianus quoque, usus ille fortasse Probi

copiis, comprobavit, in nostris *MPγabc* extat, contra *turrem*, quod in *F* legere mihi visus sum, Charisius nescio utrum sua an cuius alius grammatici auctoritate tueatur. Si autem probabilis est Kretzschmeri suspicio, totum hoc Gellii caput ex ipsis Probi commentariis sumptum esse, habemus eiusdem testimonia gravissima etiam de his scripturis: *tres* Aen. X 350, *tris* 351, *haec* Aen. II 554, *quem* I 241. Nec differunt nostri libri nisi de primo horum locorum, ubi cum *tres* quod verum esse adfirmatur *Pγtb* praebeant, *tris* ad sequentis versus exemplum *MRc* praeferunt. Sed multo etiam latius ipsum quod Gellius laudat praeceptum Probi valet, aurem potissimum in ambiguis vocabulorum terminationibus interrogandam nec grammaticorum 'finitiones illas perrancidas atque fetutinas' curandas esse, quales Charisio p. 129 et 137 K. teste Aelius Stilo Varro Plinius Asper denique excogitaverunt. Nec Priscianus VII 83 sqq. constantem de accusativi pluralis in *is* aut *es* terminatione normam constituere ausus utra in quoque vocabulo 'frequenter' vel 'raro' usurpetur enotare satis habuit: quodsi in hoc quoque capite ut alias Probum secutus est, huius testimonio sat multorum locorum scriptura confirmatur, scilicet ge. III 450 *pinguis*, IIII 61 *dulcis*, Aen. I 168 IIII 29 V 247 *navis*, IIII 34 *manis*, III 203 *tris*, XI 48 *acris*, IX 60 *imbris*, XII 418 *salubris*, IIII 226 *celeris*, ge. II 175 *fontis*, Aen. VI 540 *partis*, II 20 *ingentis*, IIII 57 *bidentis*, ge. IIII 161 *tenacis*, I 89 *plures*. Ceterum hanc Probi legem ipse secutus sum ubi in diversas partes discesserunt librarii, quamquam inter barbaros natus non is sum qui in his minutiis ipsam ubique poetae manum me restituisse confidam. Testimonia de singulorum vocabulorum formis ita composui, ut qui accuratius rimari volet materiam satis promptam habeat.

Quoniam autem certum est ipsius Vergilii librum in georgicon primo saltem libro a Probo adhibitum esse, non dubito quin eundem Gellius ibi quoque intellexerit, ubi (IX 14, 7) facile se credere adfirmat 'his qui scripserunt idiographum librum Vergilii se inspexisse', in quo ita scriptum sit (ge. I 208) *libra dies somnique pares ubi fecerit horas*, id est *diei somnique*. Dignum enim totum illud Gellii caput IX 14 vel Caesellii Vindicis quem laudat lectionum antiquarum vel Berytii nostri commentariis, quamquam de Hygino quoque cogitari potest. Sed in textum recipere nolui genetivum illum *dies* quamvis venerando testimonio firma-

tum, quia causam dispicere non poteram cur duplicare sibilantem litteram quam Caesarem et Sallustium secutus *die* forma iucundiore uti maluerit poeta.

Ad orthographiam vel orthoepeiam spectat, quod *fumat* Aen. III 3 circumflexa ultima syllaba scribi vel pronuntiari iussit, scilicet ut perfectum tempus agnosceretur et quem Claudius Sacerdos I 89 notavit soloecismus (*cecidit et fumat*) vitaretur; reditque eadem ratio, quam merito non procedere monuit Servius, in Donati ad Ter. adelph. III 3, 11 commentario.

Troiam, Graios et *Aiacem* per unum *i* scribi vetuisse fertur a Servio ad Aen. I 1. Ciceroni haec ratio placuerat, qui geminata *i* scribebat *aiio Maiia* (Quintilianus I 4, 11) *Aiiax Troiia* (Velius Longus 2219); Caesari vero etiam triplici genetivus *Pompeiii*, si Prisciano p. 545 vel quam laudat Victoris arti grammaticae de syllabis fides. Ac solitos antiquos *maiius peiius eiius* pronuntiare et in vetustissimis scripturis inveniri *eiius Pompeiius Vulteiius Gaiius* idem et l. l. et VII 19 testatur. Sed is cum 'omnes qui de litteris curiosius scripserunt' id affirmare dicat p. 739, ipsa vetustatis monumenta non inspexisse videtur (cf. Lachmannus ad Lucr. VI 424), nec in toto inscriptionum Latinarum antiquissimarum volumine, h. e. usque ad Caesaris mortem ullum scripturae illius exemplum praeter EÍVS, quod duobus locis extat, hodie invenitur. Itaque non publico usu receptum quod grammatici illius aevi excogitaverant. Sed ex posteriore sane tempore geminatae *i* quamvis pauca exempla *Pompeiia Opetreiia Sabineiius*, plura longae quae duplicis vice quodammodo fungitur collegerunt Huebnerus quaestt. onomat. 26 sq. et Guil. Schmitz in comm. de I geminata et de I longa (Düren 1860): cf. mus. Rhen. XVIII 144 sq.

Non igitur novicia, sed satis antiqua doctrina est, quam non est cur dubitemus Berytium grammaticum sua auctoritate comprobasse, nec eam intra tria illa nomina coercuisse putandus est. Itaque Probi nostri manum agnosco, ubicumque in libris nostris duplex i legitur. Extat *Troiius* et *Troiiae* in *F*, *Graii* in *FPRγ*, *Graiis* in *P*, *ieiiunea*, quo exemplo Terentianus Maurus 619 utitur, in *P*.

Porro ut Marius Victorinus p. 2477 testatur esse qui 'Troiiaque nunc stares' Aen. II 56 ut '*proiiecit* fluvio penitusque in nubila fugit' XII 256 scribi iubeant, *proiice* in *R* et *superiicit* et

reiicit et *coiiciunt* in *P* exaratum est (vide ind. gramm.). Valde igitur probabile, quod dubitanter Kretzschmerus p. 90 coniecit, Gellii IIII 17 caput, ubi *iniice* Aen. VI 366 et *subiicit* ge. II 19 et *obiicibus* ge. II 480 et scribendum et legendum praecipitur, totum Probi esse vel saltem a Sulpicio Apollinari ex huius commentariis excerptum.

Sed non credo Lerschio ephem. antiq. 1840 p. 111 et Riesio (de comm. Verg. qui M. Valeri Probi dicitur p. 11) et H. Keilio gramm. Latt. vol. IIII praef. XXV adfirmantibus Berytium in suo exemplari ge. I 277 *orchus* legisse, ubi ipsam poetae manum *Horcus* servatam in *P* Celsus georgicon commentator clarissimus vindicavit: immo siquidem ad Osanni de artigrapho iuniore coniecturam (Symbol. II 269 sqq.) iam profugere non licet (cf. H. Keilius in symbola philoll. Bonn. p. 93 sqq.), aspirationis notam supra vocem illam in Probi exemplari positam, sc. ut *horcus* legeretur, falso interpretatum esse statuerim qui praeceptum illud de tribus vocabulis aspiratis 'lurcho pulcher orchus' in Catholicis quae inscribuntur Probi (p. 10, 22. 14, 33. 22, 27. 38, 28 K. coll. praef. p. XXV et in symbola 97) propagavit. Et *Horcus* video Suringarum quoque hist. crit. scholl. Latt. II 18 ad Probi auctoritatem referre.

Quomodo *distinxerit* Probus textum, unicum extat Servii testimonium de Aen. X 173, ubi *trecentos* subdistingui hypostigme (cf. Marius Victorinus p. 1942 P.) voluit, ut sequentibus iungeretur *insula*, sic quidem:

> sescentos illi dederat Populonia mater
> expertos belli iuvenes, ast Ilva trecentos,
> insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.

Nam alios cum antecedentibus *insula* iungere maluisse Medicei exemplo demonstratur, ubi post vocem illam distinguitur.

De *emendato* textu haec tradita sunt. Recte commendavit Aen. XII 605 antiquam et veram lectionem '*floros* . . . crinis', quae in nostris libris tantum non omnibus recentiore *flavos* expulsa est. Nam quod in Leidensi m. pr. et in Menteliano pr. *floros* scriptum fuisse Heinsius coniecit certum non est num antiqua memoria traditum an ex Servio correctum sit. Quamquam memorabile, praeclarae emendationis, qua Aen. VII 773 Aesculapium medicum, qui 'Phoebi potentibus herbis', ut XII 402

Iapyx, ab inferis Virbium revocavit, Probus *Phoebigenam* fecit, unicum vestigium eiusdem Menteliani scriptura *phoenigneam* servari, cum ceteri omnes ad *Poenigenam* vel similia delapsi sint. Sed hoc ille num in suo libro legerit an coniectura felicissima adsecutus sit nescimus.

Traditam memoriam duobus etiam exemplis videtur tuitus esse, ita quidem ut paulo reconditiores locutiones comparatis similibus locis illustraret. Nam et Aen. X 303 *vadi dorso**) collato ge. III 436 'dorso nemoris' et Aen. I 441 *laetissimus umbrae* structuram Sallustii hist. II 91 D. auctoritate defendit, cumque idem exemplum ad XI 338 faudet Servius Danielis, fortasse hic quoque Probus ipse duplicem genetivum 'largus opum et *linguae* melior' legerat. Et restant harum quidem lectionum etiam in nostris libris indicia: VADI enim priore manu in *P* exaratum erat, suprascripta demum S ceterorum codicum VADIS effectum; item UMBRAE manu priore in *F*, ubi erasa ultima littera quod vulgo traditur UMBRA relictum est; denique LINGVAE item priore manu in *P* extat, quod perfossa E littera corrector in LINGVA, quod in reliquis est, mutavit.

Tertium vel quartum exemplum servatae antiqui libri fidei habeo, quod Aen. XI 830 Probus *arma relinquont* probavit, quod nemo erit qui coniectura ex facillimis intellectu vel *relinquens* vel *reliquit* scripturis factum contendat. Cum autem harum litterarum quae in *P* extant RELIQVENS (N suprascr.) ultima in litura esse mihi visa sit, nescio an hic quoque tenue saltem verae memoriae indicium Palatinus praebeat. Atque in eodem libro etiam alius egregiae emendationis *insignibus albis*, quae sacerdotem Aen. X 539 decere sensit Probus, ipsa vestigia latere conieci, cum manu altera demum ceterorum codicum ARMIS in *P* quoque inlatum sit, olim vero in RMI litterarum loco aliae tres fuerint. Item Probi auctoritatem prior Palatini manus refert Aen. VIII 406, ubi legitur quod ille 'propter sensum κακέμφατον' scilicet ausus est '*infusum* gre-

*) Non putaveram de hac Probi scriptura dubitaturum esse E. Hoffmannum in ephem. gymn. Austr. 1865 p. 494, cui id tantum docuisse Berytius grammaticus videtur, *vadis* et *dorso iniquo* unum idemque esse idque ipsum georgicon exemplo probari. Quod refutare serio non possum. Sufficit Gustavi Thilonis testimonium, qui in Parisino 7929, in quo solo haec Probi notatio extat, legi narrat *vadi*, non *vadis*.

mio per membra soporem', non ut persuaderet ei certe grammatico unde sua Charisius et Diomedes et Claudius Sacerdos transcripserunt, qui circuitus figuram decentem non corrumpi senserunt tradita in ceteris exemplaribus scriptura *infusus*. Ac nescio an pravo Cornuti exemplo, qui membrorum mentionem minus cautam notaverat, seductus fuerit ut nodum quod aiunt in scirpo quaereret.

Sed latuit acerrimum criticum haec '*caeli convexa per auras*' Aen. VII 543 manca esse et verbum flagitare, quae ut Asper bis accepta praepositione 'per' interpretatus est. Duplicem ipse memoriam Aen. I 44 repperisse videtur, ubi pro his 'illum expirantem transfixo *pectore* flammas' et '*tempore*' legisse traditur, quod non collato tantum Aen. IX 588 'liquefacto *tempora* plumbo diffidit', sed picturae, quae in templo Ardeati extabat, exemplo confirmavit.

Ambiguum eius de aliis quoque locis erat iudicium. Nam si recte corruptam Servii adnotationem emendavi *), Aen. XI 566 in his 'gramineo donum Triviae de *caespite* vellit' aut pro campo caespitem dictum aut *cortice* corrigendum esse statuit, ut 'libro et silvestri subere clausam' puellam v. 554 legimus. Displicuit eidem quamvis immerito Aen. V 432 '*aeger* anhelitus', qui Entelli senis membris quidem et mole valentis, sed cui tamen 'tarda trementi genua labant' artus vastos quatere narratur, commodius idem quadrare visus ad fessos Turni artus, cui non 'respirare potestas' Aen. IX 814; et cum consuetudinem Vergilianam similia mutandi observaverit, fortasse in quinto libro *acer* praestare iudicavit. Alii contra iuveni aegrum anhelitum minus quam seni convenire sentientes in nono potius hanc emendationem admittere volebant (Servius Aen. IX 814). Mihi quidem neutro loco quidquam esse vituperandum videtur.

Aen. VI 177 dubito utrum de verbis quoque an de sola sententia 'requirendum adhuc esse' dixerit. Differunt enim libri scripturis *sepulchro* et *sepulchri*, quarum illa cum in *Pγ* et a manu priore ni fallor in *b* extet, a Probo fortasse proposita est. Nam ut rite sepeliretur vel conderetur sepul-

---

*) 'Probus: aut *cortice* aut *cespite* pro campo, scilicet quod cespes gleba sit.' In Parisino 7929, qui solus huius loci testis est, *cespite* pro *cortice* legi docuit G. Thilo, et apud Lionem *cespito* editum.

chro Miseni corpus Sibylla v. 152 praeceperat, quod postquam ingenti pyrae (214 sqq.) impositum et crematum est, 'ingenti mole sepulchrum' Aeneas v. 232 favillae 'inponit'. Ergo et pyrae et sepulchro materies congerenda erat, sed neutrum iam v. 178 educere putandi sunt socii, sed caedendis scindendis portandis arboribus certare ut colligatur, unde rogus primum et deinde quae sepulchro sit ara ad caelum erigatur. Sed veteres commentatores dubii haeserunt, utrum de rogo an de sepulchro a Vergilio usurpata esset *ara*, cumque ante combustum corpus sepulchrum extrui prorsus inauditum esset, difficilior etiam *ara sepulchri* quam congesta *sepulchro* ara videri poterat. Itaque Probum putaverim hoc proposuisse, sed ut de arae significatione etiam accuratius requirendum censeret. At qui ante editos eius commentarios Vergilium imitati sunt poetae Silius Italicus et Valerius Flaccus suorum exemplarium fidem sequi non dubitaverunt. Quorum ille prorsus similia haec XV 387 sq. ausus est 'alta sepulcri protinus extruitur caeloque educitur ara', quibus ipse rogus describitur, hic autem aliquanto prudentius ni fallor haec V 10 ponere satis habuit: 'robora caedunt pars silvis portantque arae'. Ceterum cf. I. Grimm opusc. II 233.

Interpolatos versus Berytium Aristarchum notavisse etsi veri simile, tamen testimonio firmatur nullo. Id tamen duobus exemplis certum est, eum *adnotavisse*, qui versus vel salvo sensu possent omitti vel adeo melius et prudentius futurum fuisset si omitterentur a poeta. Nam intellexit praesagium Aen. I 21 sq. iam antecedentibus 19 sq. contineri*), et laetam puppium a nautis coronatarum imaginem ex ge. I 304 repetitam minus commode in tristi Didonis oratione (Aen. IIII 418) inseri**), quamquam augeri acerbitatem ipso illo versiculo alii senserunt. De relictis in fine quinti libri duobus versibus, quos in sexti initio Tuccam et Varium posuisse Servius narrat, supra dixi.

Crisin praeterea exercebat *vituperando* poeta. Quo in genere inprimis memorabilis disputatio est, qua apud Gellium IX 9, 12 sqq. Homericorum versuum de Nausicaa ζ 102 sqq. venustatem demon-

*) Servius: 'in Probo adpuncti sunt: et adnotandum, hi duo si eximantur, nihilominus sensus integer erit.'

**) Servius Aen. IIII 418: 'Probus sane sic adnotavit: si hunc versum omitteret, melius fecisset.'

strat corruptam esse a Vergilio, qui Dianae Imaginem in Aen. I 498 sqq. ad Didonem transtulerit. Luculento enim exemplo est quam eleganti et acri iudicio quid pulcrum et verum esset persenserit. Nec quidquam contra valent quae apud Servium ad refutanda illius crimina proferuntur.

'Audisse' se illa 'ex discipulis Valerii Probi' Gellius adfirmat, 'solitum'que doctum hominem talia 'dicere'; nec inprobabile est horis postmeridianis, quibus 'unum et alterum vel cum plurimos tres aut quattuor admittere solebat cubansque inter longos ac volgares sermones legere quaedam' (Sueton. de gramm. 24), velut Annianum poetam et haec ex praeceptoris ore excipere potuisse et quod idem in libro noctium VI (VII) cap. 7 testatur 'se audiente Probum grammaticum' legisse ex Plauti Cistellaria (cf. Gell. I 15, 18 III 1, 5 XIII 21). Quae Kretzschmeri (de Gellii fontt. p. 91) coniectura sequenti capite (IX 10) confirmatur, ubi idem Annianus de Vergilianis versibus Aen. VIII 404—406 contra Annaeum Cornutum disputat. Quos cum Probum et ipsum adnotavisse certum sit eis quae supra protuli, nescio an hic quoque Anniani auctor Probus fuerit.

Sed quaeri saltem licebit, num forte in commentariis quoque ut hunc ex Aen. VIII 404 sqq. ita illum ex I 498 sqq. locum tetigerit, et num forte initio capitis (IX 9) Gellius, ubi ipse cum Theocriti exemplis confert bucolicon versus III 64 sq. et IX 23 —25, ex eodem, ut solet, fonte hauserit.

Restant alia quibus artem poetae Probum severo iudicio perscrutatum esse evincitur haec. Parum veri similia (ἀπίθανον πλάσμα) esse indicavit quae Aen. XI 554 sqq. de Camilla super fluvium olim a patre vibrata narrantur (Serv.). Nec illud criticum fugisse putaverim quod supra tetigimus, non satis explicavisse Vergilium Aen. IX 367 sqq., quid sibi vellent 'praemissi equites ex urbe Latina', quos nec missos a Turno nec quo consilio vel unde vel quo missi sint umquam legitur. Nam quod schol. Veronensis p. 101, 3 K. 'hoc loco adnotant' inquit 'Probus et Sulpicius contrarium illi esse: saepsit se tectis rerumque reliquit habenas' (VII 600)*), consentaneum est Probum idem in suo libro legisse, quod in omnibus bonis dici extare Servius Parisiensis testatur:

*) Quae antecedunt 'alio loco ostendit illos a Turno missos' sic supplenda sunt: '*nullo* alio loco' e. q. s.

'Turno *regis* responsa ferebant', eiusque loco posuisse quod hodie in omnibus exemplaribus manu scriptis circumfertur 'Turno *regi*' e. q. s.

'*Salsus sudor*', qui Palladii rapti per artus in castris Graecis fluxisse fertur Aen. II 173, non displicuisset fortasse critico (Serv. et schol. Veron.), si meminisset Sinonem mendacissimum et inpudentissimum hominem talia tam putida fingere.

Dubito num ad Aen. IIII 359 insolentiam figurae, qua *hauriri* vox dicitur, notaverit: certe qui primus ausus est talem translationem, felicissime ausus est. Sed videtur pleonasmum grammaticus observavisse, quo *auribus* vox hauriri dicitur, quasi id alio quoque modo fieri posset*). Idem enim Servius ad I 208 et 614 animadvertit; nec vitium esse, sed affirmationis gratia supervacuum addi Quintilianus VIII 3, 54 docet similemque Probi de hoc loco sententiam fuisse putaverim, cuius vel in Donati ad Ter. hec. III 3, 3 adnotatione levis umbra redire videtur. Sed frustra, ni fallor, quaesivit de vocis *pristinus* usu quodam singulari, quo idem valere ac *prior* Aen. VI 473 visa est**): nam eodem iure idem de *anticus* vocabuli notione quaerere poterat. Ut enim illic *pristinus* sic IIII 458 *anticus* Didonis coniunx Sychaeus appellatur, nec omnino coniux eius Aeneas revera habendus, qui non 'coniugis umquam praetendit taedas aut haec in foedera venit' (IIII 338). Item levius, quod quaesivit quid esset *iungimus hospitio dextras* Aen. III 83, dubitans, quantum ex Servio discitur, utrum ablativus an dativus esset *hospitio*, sed ut hunc fortasse praeferret***).

His accedunt alia quae non tam ad notanda quam ad *explicanda* verba spectant. Defendit enim quod ecl. VI 76 legitur *vexasse rates* ut non per ταπείνωσιν sed propria verbi vi dictum: defendit autem, nisi fallit coniectura, contra Cornutum, qui cum

*) Ergo supplendum Servii scholion sic: 'his auribus hausi, accepi. et est pleonasmos. haurit enim pro percipi ponebant veteres; et ideo qua potissimum parte sensus percipiant adiungunt ut XII 26 et 661. Probus enim ait: nemo haurit vocem *nisi auribus*'. In quibus addidi duo ultima vocabula.

**) Servius: '*pristinus* prior, quod difficile invenitur. nam de hoc sermone quaerit et Probus et alii.'

***) Servius: 'licet Probus quaerat quid sit *iungimus hospitio dextras*, tamen septimus casus est, i. e. iure hospitalitatis.'

apud Gellium II 6 eisdem fere verbis refutetur, non nimis audax suspicio erit, hunc quoque Probi commentarium non nominato ut alias auctore excerpsisse, et a familiari quodam Probi Gellium sua accepisse Kretzschmerus quoque p. 92 statuit. Id vero qui probaverit, etiam illud concedet, reliquam apud eundem de *inlaudati* ge. III 5 et de *squalentem* Aen. X 314 vocabulorum usu contra Cornutum disputationem eidem Probo nostro deberi.

Altaria libant Aen. XII 174 duplici modo aut supplenda praepositione *in* aut ut libamina intellegerentur altaria explicavit*). His adducor ut etiam in scholio Veronensi ad Aen. V 93 (p. 94, 25 K.) hoc 'altaria limina, ut paterisque libant' e. q. s. *libamina* pro *limina* corrigam, Probum autem haec quoque 'depasta altaria liquit' post pateras et pocula et dapes v. 91 sq. commemorata de vino coniciam interpretatum esse. At de ecl. VIII 105 quid statuerit ex mutila scholiastae notatione elicere non ausim.

Aspri dubitationem de '*sublustri* noctis umbra' (Aen. IX 373) solvit aptissimo Horatii exemplo carm. III 27, 31 allato (schol. Veron.), quo Servius quoque non nominato Probo utitur.

Ad Aristarchi exemplum (cf. Lehrsii de Arist. diss. III c. 1) quaesivit qua mente dixisset poeta 'animos aequabit *Olympo*' Aen. VI 782: utrum ut Homerus montem Macedoniae an ut ipse alias (I 374 X 1) caelum intellexisset**). Nam certe multum aberat ab eorum securitate, qui utrumque perinde haberent et Olympum quasi ὅλον λαμπρὸν vel ὁλολαμπῆ ineptissime interpretarentur (cf. Servius ad II 779 IIII 268 X 1).

Philosophiam tetigit illustrando versiculo 'o pater, o hominum rerumque aeterna potestas' (Aen. X 18), nec dubito quin Servius copiosae disputationis (qualem in ipso Probi commentario ad ecl. VI 31 legimus) summam tantum delibaverit.

---

*) Servius Parisinus (cf. G. Thilo mus. Rhen. XV 147): 'Probus *altaria* idem [quod] *in altaria* dicit et *pateris* pro *ex pateris*. aut vinum altaria intelligamus. ea enim, quae in altaria funduntur, altaria dici voluit.'

**) Servius 'de hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt.' Trogum Gutschmidius in ann. philoll. supplem. II p. 192 coniecit initio libri XXXXIII historiarum Philippicarum, ubi de urbis primordiis egit, illum aequalis poetae locum laudavisse. Cuius copiis fortasse usus est Probus: nam adhibetur Trogi auctoritas a Servio etiam ad Aen. III 108 et IIII 37 et a Philargyrio ad ge. IIII 387.

Ceterum in rebus physicis allegoristarum sectam Probum secutum fuisse Bergkius (annall. philoll. 1861 p. 332 sq.) ex ipso eius ad ecl. VI 31 commentario conclusit. Incertum relinquo qua fide Pomponius Sabinus qui dicitur ad ge. IIII 367 Probum eius opinionis meminisse dicat, qua unam omnia flumina originem habere credebatur; sed ab indole commentariorum illius ne id quidem alienum fuisse recte statuit Alex. Riese l. l. p. 30 adn. Admodum dubia item emendatione Probo Ph. Wagnerus in commentationis de Iunio Philargyro particula altera p. 18 vindicavit locutionis '*Sithonias* hiemes' ecl. X 66 explicationem*).

Destituit tamen hominem litteratissimum eruditio in investigando fabulae de Pane et Luna, quae ge. III 391 obiter innuitur, auctore, quem Nicandrum fuisse Macrobium Sat. V 22, 9 fortasse quem in Vergilio illustrando sequi solet Servii nostro integrior commentarius edocuit (cf. Philargyr. ad l. l. et quae in Fleckeiseni annalibus a. 1863 p. 351 monui). Certe quod in eodem capite Alexandri Aetoli versus ad Aen. XI 532 profert, eadem quamquam mutilata et contracta etiam nunc apud Servium extant. Ceterum discitur illo exemplo, ne historicum quidem commentandi genus Probum neglexisse. Etiam tempestatis signa quae noctuae tribuuntur ad ge. I 403 enarravit (Servii cod. Burmannianus G et schol. Bernens.).

Sed ut illud de *orchus* scriptura praeceptum negavi Berytii esse, ita iniuriam faceret clarissimo commentatori, qui eum crederet haec 'tercentum adiciunt... qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis' (Aen. X 182) tironibus nostris indoctius ita interpretatum esse, ut apud Servium traditur. Scilicet non vidit litterator tercentum viros intellegendos esse, quos Caeretani et ceteri Tusci adiciunt, sed 'adiacere' hos et 'quasi iuxta esse' docebat auditores!

---

*) Schol. Bernens. ad l. l. 'Sithonias pro scitho barbaricas thracius. Sithon mons Thraciae, vel Sithonias, id est Scithias a Scithone, Phyllidis fratre. Iunilius dicit' quae Wagnerus sic scribi iubet: 'Sithonias] Probus: Sithonias, barbaricas, Thracias. Sithon mons Thraciae. vel Scythonias, i. e. Scythias a Scythone, Phyllidis patre.' Sed sanari illa mihi videntur sic demum ordinatis membris: 'scithonias pro scythobarbaricas, i. e. scythias. vel sithonias, thracias. Sithon mons Thraciae, a Sithone, Phyllidis patre.'

Difficillimum omnino dicere, quo in scripto Probi exposita fuerint singula quaeque praecepta *grammatica*, quae cum Latini sermonis normam et consuetudinem universam spectent, exemplis tamen praeter alia Vergilianis quoque illustrantur. Nam et digressum scimus a difficiliorum poetae locorum interpretatione ad quaestiones uberrimas et singularibus commentationibus, quarum 'multos admodum libros' se adquisivisse Gellius XV 30 praedicat, silvaque observationum plurima de Latinae linguae usu copiosissime disseruisse. Velut 'de dubio perfecto' tractans, quo ex libro et Gellium VI (VII) 9 sua formarum peposci pepugero aliarum exempla hausisse consentiunt Mercklinus et Kretzschmerus, et Diomedem Priscianumque plurima excerpsisse H. Keilius in praef. ad Diom. p. LII statuit, etiam de verbi *aio* prosodia disseruit, cui confirmandae ex Aen. I 142 versiculum adhibuit (Prisc. 906 cf. 875 P. Cathol. p. 35, 30 K. Diomedes 370 P. Keilius praef. vol. IIII p. XXVI symbol. 97). Scripsit idem 'de dubiis generibus' ita ut deponentium quae nos dicimus verborum usum exquisita doctrina illustraret. Admodum igitur probabile, quae apud Servium ad Aen. I 194 de *partior* verbo traduntur ex hoc potissimum fonte fluxisse. Nam et in Catholicis p. 36 P. (cf. Keilii praef. p. XIX. XXVI symb. 97) hoc ipsum verbi 'partior' activa significatione usurpati exemplum adfertur, nec inprobabilis Kretzschmeri p. 89 coniectura, Gellii XVIII 12 et Prisciani VIII 25 sqq. et Nonii de verbis quae dicuntur deponentibus titulos sat multos (et quidni totum caput septimum?) ex Valerii Probi horreis desumpta esse. Ac si recte idem vir doctus p. 86 Gellii XV 13 (item ut Diomedis p. 400 sq. K. et Prisciani VIII 15—26) de verbis communibus ad Probum rettulit, vix dubitandum quin in hoc ipso libro potius quam in commentario Vergiliano eam materiam exhauserit, etsi fortasse ne illic quidem verba *dignate* Aen. III 460 et *venerata* 475 silentio praetermisit. Idem sentio de participio *passus* Aen. I 480 et III 263 obvio, de quo si tam copiosa disputatione egit qualem ex Gellio XV 15 Diomede p. 377, 21 K. Prisciano X 27 Nonio p. 370, 8 et 370, 20 Kretzschmerus p. 86 sq. (cui adsentitur Hertzius l. infra l. p. 788) compilavit, certe in grammatico aliquo commentario, non ubi interpretis munere fungebatur, egisse putandus est (cf. Servius ad Aen. I 480). Porro 'de inaequalitate consuetudinis' disserens (Charis. p. 189 P.) quidni de *Allecto* monoptoto (Aen. VII 324 Charis. p. 94 P. coll.

Serv. et de ult. syll. p. 229 K.) praecipere eaque fere addere poterat, quae Charisius p. 47 de nominum in o exeuntium varia declinatione congessit? 'De temporum conexione libellum' ipse Servius laudavit, ex quo intellegeretur haec 'fusos patiere labores' Aen. VII 421 propter compositum praeteriti temporis participium cum futuro dura esse. Inde Diomedem sua 'de coniunctione temporum' (p. 383 sqq. P.) excerpsisse Keilius vol. IIII praef. p. XIX et in symbola philol. Bonn. p. 94 sq. significavit.

Praeterea grammaticis libris vindicavit Keilius praef. p. XIX concessivi *iuveris* (Aen. X 33) explicationem collato Diomedis 'de specie concessiva' capite p. 396 sq. K., infinitivum historicum *carpere* in scholiis Bernensibus ad ge. IIII 134 notatum (cf. Philargyr. et Diomedes p. 340 sq. K., Keilius praef. p. XXII), et ipsa Catholica p. 17, 2 K. propter genetivum *instaris* laudari statuit apud Servium ad Aen. II 15. Minus certum eodem auctore, utrum ex eodem Catholicon loco an ex commentario Vergiliano petita sint ad Aen. VI 866 adnotata *).

Quae omnia licet definiri nequeat in quo potissimum libro prolata sint, certe quid singulis Vergilii locis a se tractatis legerit Berytius grammaticus gravissima praebent testimonia, quae plenius olim colligi poterunt, postquam reliquiarum Valerii Probi corpus eadem diligentia confectum erit, quali Suetonianae eruditionis quae supersunt Reifferscheidius reconcinnavit. Interim adiutus eis, quae H. Keilius, Kretzschmerus, Mercklinus l. l., M. Hertzius (in commentatione de Gellio et Nonio annalibus Fleckeiseni a. 1862 inserta p. 780 sqq.) sagaciter animadverterant, extremis, ut aiunt, labris pauca quaedam, quae ad textum Vergilii spectarent, delibavi.

Legisse igitur, ut ubi nostra lectio variat exempla afferam, Probum testari videtur Charisius ge. IIII 88 *ambo*, Aen. I 30 *Achilli*, V 531 *Acesten*, Diomedes Aen. IIII 427 *revelli*, X 108 *fuat*, Priscianus ge. I 261 *obtunsi*, II 250 *lentescit*, 425 *nu-*

---

*) Servius: 'instar, similitudo, et est nomen, quod non recipit praepositionem. *ad instar* enim non dicimus, *quod Probus declarat*' (sic Regin. 1674). Quae, si verum est quod Parisinus 7929 praebet '*declinat*', ad illum Catholicon locum certo referuntur. Cf. Serv. ad Aen. II 15 '*instar* nomen est indeclinabile, licet Probus *instaris* declinaverit.'

tritor, IIII 267 *tunsum*, Aen. III 263 *passis*, X 432 *addensent*, 727 *lavit*, horum uterque V 425 *innexuit*. Duplicem ipse scripturam ge. II 384 reperisse videtur: nam laudat Priscianus *saliere*, tamen ut addat Probo ni fallor auctore 'in quibusdam tamen invenitur codicibus etiam *saluere* scriptum', idque solum probat Diomedes. Idem statuendum de Aen. XI 382, quo exemplo *inundo* modo absolutam modo activam habere significationem confirmaturus Priscianus laudatis his *inundant sanguine fossas* addit rursus 'invenitur tamen in quibusdam codicibus . . . *inundant s. fossae*'. Ac nescio an hic quoque posterior scriptura, ut quae exquisitior sit et variet dictionem Aen. X 24 usurpatam, magis Probo placuerit. *Nexantem* vero Aen. V 279 quod testatur Priscianus vereor ne prava coniectura Probus ex ea, quae et multo pulcrior est et *nodis* ablativo commendatur, codicum *MPVγc* scriptura *nixantem* effinxerit.

Ceterum temerarius sit qui praeter ipsas verborum formas, de quibus praecipiunt grammatici, reliqua etiam vocabula singulis locis laudata ad Probi auctoritatem nescio quam referre velit. Quae quam facile fallat ratio, unum instar omnium exempium esto. Georgicon enim III 367 sic apud Priscianum de verbo *ninguo* praecipientem fertur:

interea toto non setius *aequore* ninguit,

cum Vergilium *aëre* scripsisse nostri codices omnes praeter Arundelianum testentur. Sed isti scripturae ne quid tribuas cavet alter locus, quem una cum illo Charisius exemplum adverbii *setius* attulit, ex Aen. V 862 'currit iter tutum non setius aequore classis.' Unde intellegitur, quod saepissime usu venit, vel grammaticum vel librarium simiiis loci recordationem fefellisse. Simili memoriae errore ex Aen. IIII 68 verbi *labor* exemplum apud Priscianum adfertur '*labitur* infeiix Dido': at certissimum est ibi Vergilium scripsisse quod in omnibus libris nostris extat *uritur*, illi autem in mente fuisse Aen. V 329 'Nisus labitur infelix'. Nec quisquam his 'indutus terga leonis', quae laudat Priscianus p. 797, abutetur ad emendandum Aen. VII 666. Cf. praeterea ad Aen. VII 731 et X 677 adnotata.

Iam vero dicendum de *notis criticis*, quas Alexandrinorum grammaticorum exemplo post Vargunteium et Aelium Stilonem

Valerius Probus in Vergilio Horatio Lucretio a se emendatis adposuit. Quarum indicem in cod. Parisino inventum a Th. Mommseno editumque primum a Bergkio eique partim simillimum, quem Isidorus origg. I 20 exhibuit, excerptum ex Suetonii de notis libro aliquo primus Bergkius in diario litt.antiq. 1845 p. 113 coniecit, quem ita secutus est Reifferscheidius, ut inter extremi de viris inlustribus libri reliquias simul cum aliis ab ipso indagatis reciperet in Suetonium suum p. 137 sqq. (coll. p. 419 sqq.). Ergo peritissimo utimur auctore, quem ab ipso Probo adnotatos libros in manu et ante oculos habuisse certum est. A quo usum discimus criticum XXI notis hisce:

— obelo
※ asterisco
※ — asterisco cum obelo
> simplici ductu
> diple
⸖ diple periestigmene
Ͻ antisigmate
Ͽ antisigmate cum puncto
⸎ coronide
> — diple obelismene
< aversa obelismene
⁜ ceraunio
÷ obelo adpuncto
—< obelo cum aversa
> diple superne obelata
> < recta et aversa superne obelatis
⳩ chi et ro
ɸ fi et ro
⸕ ancora superiore
⸔ ancora inferiore
ǀ alogo

Iam in commentario, quo explicantur hae notae, unicum ex Aeneide X 88 exemplum adpositum est ne ab Isidoro quidem praetermissum, ubi in ora, h. e. in margine*) *aversa obelismene* < picta fuit, qua 'respici ad aliquid' significaretur. Respicit autem Iuno ad querellas Veneris vv. 25—29 et 55—62 prolatas.

*) in ore *anecd. Paris.*

Digitized by Google

Talia autem si adnotavit Probus, sescentis locis aversa obelismene usum necesse est, quorum turbam colligere operae non est.

Alogi et signum et explicatio ex Isidoro repetenda: erat enim lineola deorsum ducta adhibebaturque ad menda notanda. Exemplum autem attulit Servius ad Aen. X 444 haec 'socii cesserunt *aequore iusso*' adnotans 'pro *ipsi iussi*, et est usurpatum participium. nam *iubeor* non dicimus . . . . ergo satis licenter dictum est adeo ut huic loco corrupto Probus alogum apposuerit', in quibus emendandis operam et oleum perdidit Wollenbergius p. 11. Vides immixta in nostris scholiis quae Probus nullo modo ac ne Servius quidem scripsisse potest, quorum neutrum passivum *iuberi* offendisse credibile est. Offendit Probum audacia, qua *iussum aequor* dicitur, cum ipsos socios iussos decedere aequore consuetudini sermonis congruum sit; eamque figuram Macrobius quoque VI 6, 3, usus ille fortasse hic quoque Probi copiis, inter eas rettulit, quas primus usurpavit Vergilius ('pro eo quod *iussi cesserunt*'). Alogum igitur adposuit Probus dubitans num *iussi* corrigendum esset.

Ceterum non omnibus locis, quibus emendationem adhibuit, alogum adpinxisse putandus est. In Homeri quidem exemplaribus *πρὸς τὰς γραφὰς τὰς Ζηνοδοτείους καὶ Κράτητος καὶ αὐτοῦ Ἀριστάρχου καὶ τὰς διορθώσεις αὐτοῦ* (anecd. Rom. coll. Veneto) *diple periestigmene* ponebatur et simili consilio in Latinorum quoque scriptorum libris usurpata est, quamquam misere contracta et corrupta adeo anecdotum Parisinum de ea praebet: 'd. p. apponebatur, quae Zenodotus Ephesius non recte adiecerat aut detraxerat aut permutaverat. *in his* (fort. *similiter*) *et nostri ea usi sunt*'.

Unde id saltem intellegitur, ubicumque Probus vel traditam scripturam contra eorum qui ante ipsum textum scriptoris ediderant (velut Aspri: cf. Aen. X 539) commenta defendit vel emendationem sive aliorum sive suam in textum recepit, *diple periestigmene* eum usum esse. Hanc igitur his versibus, de quibus supra dixi, adhibitam fuisse statuo: Aen. I 441 VII 773 VIII 406 X 303. 539 XI (338?) 830 XII 605.

Contra *alogus* ibi locum habebat, ubi ipse de constituenda lectione ambigebat vel adeo desperabat, cuius et in schol. ad Aristoph. Vesp. 1282 et in scholiis Victorianis ad π 613 vestigium extat (cf. Lehrsius in Arist. p. 362/346 et Hermannus Schrader

de notatione critica e. q. s. p. 6 sq.) Itaque hac nota praeter illum Aen. X 444 velut hos Vergilii versus insignitos fuisse puto: Aen. I 44 VI 177 IX 814 XI 566.

Eandem atque inter diplen periestigmenen et alogum rationem intercessisse suspicor inter *obelum* et *obelum cum puncto*. Nam quod adnotavit Servius ad Aen. I 21 sq. 'in Probo *adpuncti sunt:* et adnotandum, hi duo si eximantur, nihilominus sensus integer erit' de simplici certe obelo intellegi non potest, sed obelus cum puncto, qui 'ad ea de quibus dubitatur tolli debeant necne' adhibebatur, huic loco convenit. Idem signum, si fuit inter eos criticos quorum iudicium Servius refert, adposuit fortasse ad VIII 627 et 731. Simplicis *obeli*, quo confixit eos versus quos spurios esse certo persuasum habebat, exemplum nec in scholiis nec in Parisino anecdoto extat: nobis quidem satis est scire, Vergilii et Horatii et Lucretii criticum non magis Aristarcho atheteses fugisse. Excerptoris enim neglegentia et in hac Parisini anecdoti de obelo notatione et in aliis nonnullis Probi mentio omissa est, qui si omnino non usus esset vel hac nota vel illa, verum non esset quod supra adfirmatur adposuisse eum ut Aristarchum XXI quae initio tractatus enumerata sunt signa. Itaque vana nostrorum litteratorum in servandis singulis versiculis superstitio. Immo ne multitudinem quidem versuum inprobare religio erat Probo; quod quotiens usu veniebat, ne per singulos obelo abuteretur, totum locum *ceraunio* concremabat. Ergo inprimis illud secundi libri vv. 567—588 emblema si iam repperit in exemplaribus, hoc telo confixisse statuendus est.

Dittographiae, 'cum eiusdem sensus versus duplices essent et dubitaretur qui potius legendi', *antisigmate cum puncto* notabantur. Sed nec huius exempla tradita sunt nec adhibiti *asterisci cum obelo*, quo eundem secutus Aristarchum eos versus, 'qui non suo loco positi erant', signabat.

Redierunt ergo ut in Homericis carminibus ita in Aeneide quoque iam tum temporis diversis locis versus eidem, quos partim poeta consulto, partim temere memoriae ostentandae causa interpolatores repetiverunt. Hi ubi recte et apte positi viderentur, asterisco, ubi falso inserti essent, asterisco cum obelo notabantur. Hanc enim Aristarchi consuetudinem fuisse satis docent scholia Veneta. Apud Vergilium autem a Probo asteriscum cum obelo

Digitized by Google

velut his locis adpositum esse statuimus: ge. II 129 IIII 338 Aen. II 775 III 230 IIII 273. 418 (cf. Servius) 528 VIII 46 IX 529 X 278. 872, nam IX 29 tum ne extitisse quidem ullo in exemplari crediderim. Ex nostris autem libris antiquissimis Probi auctoritatem minime secutus esse videtur Romanus, qui habet VIII 46 IX 529 X 278, quamquam omittit cum ceteris ge. IIII 338 Aen. IX 29 X 872.

Relicta sunt huius quoque criseos vestigia apud Servium, quae suis locis enotavi. Sed ab his exemplis proficiscendum in diiudicandis aliis versibus, ubi evanuit antiquitatis memoria. Cum enim notis uti quam textum mutare maluerit Berytius, qui eius exemplar transcribebant librarios consentaneum est neglectis magis magisque quae in margine adpicta erant ipsa verba poetae qualiacumque legebantur calamo deproperavisse.

Ad eos versus, quorum ordo permutandus erat, *antisigma* ponebatur. Nam 'sic et in nostris auctoribus inveniri' expressis verbis testatur Suetonius. Nec singulorum tantum vel continuorum versuum, sed plurium etiam et longiore spatio separatorum ordinem signo illo restituisse Probum arbitror.

Simplici *asterisco* schedarum Vaticanarum διορθωτής usus est ad librarii errorem corrigendum, quo Aen. IIII 670 post v. 677 insertus est: adposuit igitur et ad v. 669 et ad eum qui post 677 scriptus extat asteriscum, ad v. 671 autem litteram *B*.

Sed eadem signa ab aliis alia ratione adhibita esse exemplo est Vindobonensis codex Prisciani (p. 1073 P.), ubi laudatis Vergilii Aen. I 234—237 ('certe . . . pollicitus') ultimum verbum sic adnotatum extat: '※ s. ÷ pollicitus'. Quod Bergkius (ann. philol. 1861 p. 637 sq.) statuit spectare ad structurae licentiam, qua haec 'pollicitus quae te genitor sententia vertit' commotam scilicet animo Venerem balbutisse post Heynium Wagnerus ceteris omnibus nostrae aetatis interpretibus atque ipsi Bergkio persuasit. At de tali anacolutho nulla apud veteres mentio: tacet Servius noster, Priscianus vero p. 1179 multo simpliciorem structuram, qua finitur post 'pollicitus' enuntiatum probans participium pro verbo positum, h. e. omissum *es* verbum substantivum praecepit, eiusque licentiae non hoc tantum Vergilii, sed Terentii quoque ex Andria III 5, 15 exemplum '*quid meritus?* pro quid meruisti' attulit, ubi olim a Bentleio *meritu's* restitutum est. Sed me qui

Digitized by Google

eadem ratione apud Vergilium *pollicitu's* correxissem, 'archaismo' scilicet nitidissimi poetae sermonem corrupisse Bergkius queritur.

Archaismum quidem quem dicat nescio: ex familiari sermone, de quo Ritschelius olim in prolegg. Trinummi p. CVII sq. disputavit, repetitam vocularum *est* et *es* aphaeresin video, sed eam plurimis exemplis a dactylicis poetis tam aureae quam argenteae aetatis receptam. Ac tertiae personae coalescentis cum antecedenti vocabulo exempla Vergiliana et Wagnerus orthogr. Verg. 433 sq. tractavit et a me collecta invenies in indice. Nec reprehendit Lachmannus ad Lucr. 66 sq. 199 sq. aut Lucianus Molitor ann. philoll. 1857 p. 481 sqq. et de re metrica p. 302 sq. secundae personae post vocalem aphaeresin, quam Catullus in *pollicita's mea's adepta's*, Propertius in *dea's*, Martialis in *vetula's fatua's homo's* formis quamvis raro admiserunt. Quid quod apud Catullum in hendecasyllabis XXIII 27 Bergkius ipse *iam satis beatu's* scribi iussit? ne dicam de Ennio, cui Vahlenus *fretu's* (ann. 29) restituendum esse coniecit in mus. Rhen. XVI 574. Apud Vergilium autem *pollicitus* pro secunda persona perfecti non minus certo habendum quam *exosus* in his Aen. V 687 'Iuppiter omnipotens, si nondum exosu's ad unum Troianos' et *laetatus* in X 827 'arma quibus *laetatu's* habe tua'. Nullo horum locorum antiqui interpretes quidquam difficultatis esse senserunt. Iam igitur optio data, utrum dura, ut mihi quidem videtur, nec omissae tertiae verbi substantivi personae exemplis*) satis excusata, cum in his de sententia dubitari non possit, omissam his locis voculam *es* an coaluisse in scriptura quoque, ut fieri solebat in pronuntiatione, statuamus.

Iam Vindobonensis ille criticus nec asteriscum nec obelum utrimque adpunctum sive lemniscum (ὀβελὸν περιεστιγμένον) ea ratione qua alios accepimus usurpare solitos posuit: nam nec de transponendo nec te tollendo versu poterat cogitare. Num Aristophanem secutus quia sensum deesse putabat asteriscum posuerit, dubitaveris: rectius Isidori praecepto utemur, quo

---

*) Eis, quae a Wagnero ad ecl. I 54 et in quaestt. Vergill. XV collecta sunt, addenda ge. III 235. 271 et Aen. III 236 'haud secus ac iussi faciunt'. Unum omissi *estis* exemplum novi Aen. V 192 'nunc illas promite vires, nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi' e. q. s.

asteriscus adponi traditur 'in his, quae omissa sunt, ut inlucescant per eam notam quae deesse videantur'. Atqui deesse monet Priscianus *es*, idque ipsum glossator noster et asterisco suo et ipsa fortasse *es* vocula suprascripta, unde nunc *s* relicuum, indicavit. Nisi forte hac ipsa *s* littera significare voluit, separandam esse scriptura a reliquis, ut *pollicitu's* quod edidi evaderet. Virgula autem adpuncta fortasse glossematis magis compendium est quam nota critica. Notissimum enim, *est* voculam in libris manuscriptis saepissime hoc siglo ∸ indicari: quid igitur si hoc ÷ *es* significare voluit glossator?

Etiam *diplen aperisticton* semel in schedis Vaticanis inveni, sed ne eam quidem alio consilio positam, nisi ut ab ima pagina versiculus ad eum locum, ubi praetermiserat librarius, revocaretur, Aen. IIII 245. Sed primum Leagoran Syracusanum constat diplen Homericis versibus adhibuisse 'ad separationem Olympi a caelo', hoc est omnibus locis, ubi vel mons Olympus vel caelum significaretur: deinde Aristarchus ea usus esse fertur 'in multis, nunc ea quae praeter consuetudinem tam vitae nostrae quam ipsius poetae' apud Homerum 'invenirentur adnotans, nunc proprias ipsius figuras, interdum ea in quibus copiosus est, rursus quae semel apud eum ponerentur. similiter in nostris auctoribus Probus'. (Sueton.) Ergo nescio an hic quoque locos, ubi Olympi mentio fit, inprimis Aen. VI 782 diple notaverit. Ceterum Aristarchi usum certis finibus circumscribi et duobus maxime generibus definiri voluit Sengebusch Hom. diss. I p. 25 sq., quorum unum ad eos locos 'quibus in aliorum locorum χρίσει usus fuit', alterum ad eos 'quibus aliunde lucem attulit' pertineret. Qua in re quatenus eum secutus sit Probus cum nullo testimonio doceamur, tutissimum erit intra ipsa Parisini grammatici verba coniecturam cohibere: nisi forte licebit ariolando eam saltem inter puram et punctatam diplen differentiam statuere, ut eadem mente illa ad interpretationes qua haec ad crisin adhiberetur: nimirum ubicumque vel aliorum explicationem refutabat vel novi quid ipse adferebat ut puram diplen adponeret.

Exemplis ut paucis defungar, diple apta videtur fuisse ad eos locos, ubi Cornuti criminationes refutavit (ecl. VI 76 et fortasse ge. III 5 et Aen. X 314), porro ubi *sublustri* rectius quam Asper explicavit ad Aen. IX 373, ad notandam quam Aen. XI 830 anim-

advertit hypallagen; sed huic loco si recte conieci diplen periestigmenen adpositam fuisse, fortasse Aristarchi exemplo, qui puram et punctatam diplen nusquam consociavit, illius signum in hac inesse videns, Probus quoque sola punctata uti satis habuit. Praeterea *altaria* XII 174 et *fumat* III 3 vocabula diplen habuisse suspicor.

Eo autem magis diplae usus etiam apud Probum coercendus est, quod alia quoque signa praesto erant, quibus certis de causis memorabilia notarentur. Nam et quidquid 'praecipue', h. e. egregie dictum videbatur, *ancora superiore* insignibat (e. c. Aen. X 18 XII 605 *floros*), et si quid 'humilius vel inconvenientius enuntiatum' sentiebat, *inferiore ancora* notabat. Ergo hanc fortasse illi Dianae imagini praeposuit Aen. I 498 sqq., quam acriter vituperavit, praeterea ad V 432 (*acer*), II 173 (*salsus sudor*), IIII 359 (*his auribus hausi*), VIII 406 (*infusus*), VII 421 (*fusos patiere*).

Frequentem fuisse usumc onsentaneum est notae *phrontidis* (φ), quae locum habebat 'quotiens vel emendatio vel sensus versus*) sollicitius erat inspiciendus', vel ut Isidori verbis utar, 'ubi aliquid obscuritatis erat'. Ubicumque igitur *quaerere* vel *requirere* Probum de aliquo loco adnotatum legimus, hanc notam in margine fuisse statuendum erit. Exemplis sunto Aen. VI 782 (*animos aequabit Olympo*), quamquam huic versui etiam diplen vindicavimus, porro III 83 (*iungimus hospitio dextras*), VI 473 (*pristinus*), VI 177 (cum alogo). Etiam ad VII 543 eum idem signum adposuisse putaverim, saltem ut non adquiescendum esse in durissima explicatione, sed melius quaerendum fateretur. Denique nescio an historiam quoque de Pane et Luna (ge. III 391), cuius auctorem se nescire notavit, phrontide dignam habuerit.

Sed praeter diplen et ancoras et phrontida et cetera *chresimon* (☧) praesto erat, ut quidquid quacumque alia de causa animum adverterat enotaretur, idque, quod 'ex voluntate uniuscuiusque' poni dicitur, intellegitur non criticis tantum sed cuivis lectori in usu fuisse. Quodsi de Probo coniecturam facere licet, poterat grammaticis maxime formis et structuris et vocabulis rarioribus observandis chresimon adhibere, velut ad participii

*) Sic Bergkius annall. philoll. 1861 p. 319. *eius uersus* cod. *sensus eius uersus* Reifferscheidius.

Digitized by Google

passus exempla Aen. I 480 III 263, ad *partitur* I 194, ad concessivum modum *iuveris* X 33, *Allecto* accusativum VII 324, *instar* ad VI 865.

Multa in Aeneide occurrere incongrua et inter se repugnantia Probum non minus quam ceteros criticos fugisse una scholiastae Veron. ad Aen. IX 369 adnotatio docet; et consentaneum hos vel maxime locos ab eo certa nota insignitos fuisse. Usus autem videtur *diple superne obelata*, quam 'ad condicionem locorum vel personarum vel temporum mutatam' poni Parisinus grammaticus docet.

Diple obelismene comoediarum et tragoediarum textui propria velut ad Terentium a Probo, in Horatio autem ad separandas strophas *aversa obelismene* adhiberi poterat. Difficiliora intellectu quae de *recta et aversa superne obelatis* praecipit grammaticus Parisinus, cuius corrupta vel potius lacera et neglegentissime excerpta verba haec 'ponuntur cum eadem significant similemque sequentem esse' paululum lucis videntur accipere ex Isidori loco: 'ponitur finita loco suo monade significatque similem sequentem esse'. Quae non habeo quo spectare dicam nisi ad stropharum illam responsionem, quam in bucolicis Vergilium ad Theocriti aliorumque poetarum Graecorum exemplum sectatum esse olim ostendi. Itaque ut hoc utar ecl. II 36—39 et 40—42, v. 43 et 44, 45—50 et 51—55, 56 sq. et 58 sq., 60—62 et 63—65, 66—69 et 70—73 inter se similia esse poterat recta et aversa superne obelatis significari. Quamquam aliae stropharum complicatiores structurae, ubi invicem sibi respondentia membra aliis separata sunt, hac sola nota non satis perspicue illustrari poterant. Sed qua alia ratione, quales multae sane excogitari possunt, varia poetae artificia in conspectu lectoris posita fuerint traditum non est.

Denique restant quarum simplicissimus usus erat coronis et simplex ductus. *Coronide* igitur, quae 'in fine libri' ponebatur, usus est Probus, ut significaret quintum Aeneidis librum hoc versu 'et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris', non illo 'nudus in ignota, Palinure, iacebis harena' terminandum, sextum autem his 'obvertunt pelago proras' exordiendum esse.

Ductus simplex sive quam Isidorus appellat *paragraphus* 'inter versus ponebatur ad separandas res a rebus quae in conexu concurrerent, quemadmodum in catalogo, cum loca a locis aut

regiones a regionibus, et in agone, cum praemia a praemiis, certamina a diversis certaminibus separantur'. Eadem enim fere Parisini grammatici et Isidori explicatio, quae ad Aeneida non minus quam ad Iliada et Odysseam quadrare videtur. Nam et catalogum et certamina ad Homeri exemplar Vergilius quoque composuit. Sed figura huius notae diversa in Parisino codice et apud Isidorum pingitur: hic enim paragraphi nota haec ┌ extat, cui opposita contraria ┐, qua fines a principiis separari dicuntur, illic autem quod extat > signum diplae simillimum ne intellegitur quidem cur simplex ductus appelletur, cum sit duplex. Itaque Parisini codicis librarium oculo ad sequentem diplen notam aberrasse et falsam figuram appinxisse suspicor.

Ceterum huius notae exempla uberrima etiamnunc Mediceus noster Vergilii codex praebet, quamquam et variis ad eandem rem notandam figuris nec totum per textum ad singula capita distinguenda diorthota vel plures eius diorthotae usi sunt. Quae quidem a typotheta mea in editione pessime expressae vel potius corruptae sunt.

Longe frequentissime autem in hoc libro *simplex ductus*, h. e. lineola modo recta ad obeli figuram (—) modo leniter deorsum ab altera parte incurva (—) invenitur, isque semper fere supra, bis iuxta positus. Locorum autem quibus adhibitus est elenchon hunc composui:

initio orationum — superna Aen. IX 247 XI 302. 823
— - - 355. 404. 427 X 294
— - - 281
finitis orationibus — superna - - 324 X 246 XI 520
distinguuntur capita orationum:
— praemia Ascanius enumerat Aen. IX 263
— in Venuli oratione Aen. XI 275?
in Turni responso - - 392, ubi *pulsus* respicit ad v. 366
distinguuntur narrationis capita:
— de Niso separatim narratur Aen. IX 368
fit impetus in turrem - - 535
incipit Aeneae ἀριστεία - X 311
locus de Cydone eiusque fratribus incipit Aen. X 324
idem finitus Aen. X 342

Volcentis caedes finita Aen. IX 424
finitur catalogus Tuscorum Aen. X 213
incipit Laridis et Thymbri caedes Aen. X 390
incipit Lausi virtus Aen. X 426
pugnae discrimen Aen. IX 515

⁄ turris incensa Aen. XII 672

— suprap. incipit de Rhaebo locus Aen. X 858
matrum pompa - XI 477
discrimen Nisi et Euryali - IX 371
advenit Aeneas - X 260
nova de Turno narratio - - 276
finitus de Pandaro et Bitia locus Aen. IX 689
describitur Allecto Aen. VII 328
temporis notatio Aen. XI 210
armantur Dares et Entelius Aen. V 424
item de terrae compage novum caput ge. II 226

Distinguuntur imagines, quibus notandis in Veneto Homeri codice asteriscus adhibetur (cf. C. Wachsmuth mus. Rhen. XVIII 181), in Vindobonensi cod. CXVIII Vergilii $\widetilde{co}$ (i. e. comparatio) adscriptum est teste E. Hoffmanno in ephem. gymn. Austr. 1865 p. 480) in *M* sic:

⁄ Aen. IX 339 X 356
— Aen. IX 668

iuxta posita lineola recta

— distinguitur Pallantis et Lausi certamen Aen. X 434.

Raro decrravit diorthotae manus ad vicinum versum; nam incipit Cymodoceae oratio Aen. IX 228, sed versui demum 230 superposita ⁄ nota, item ad X 442 superne adpositus ductus —, cum Turni oratio a v. 441 ordiatur, et iuxta adpositus idem ad Aen. X 368, quamquam sequente demum versu Pallas loqui incipit. Nec alia causa videtur esse quod Aen. IX 161 curva posita est: paulo enim ante, v. 158 Turni verba finiuntur. At duobus locis talis excusatio deficit: Aen. IX 610 XI 883, ubi recta superne posita ad quam rerum distinctionem spectet difficile dictu

est. Nam si bellicae Romanorum consuetudinis magnificam in nono libro descriptionem enotare voluit, cur non versum 603, unde illa incipit, vel saltem v. 607 adnotavit? Prosodiam autem vocis 'fatigamus' v. 610 cum respexisse ne quis coniciat vetat constans ceteris locis usus. Nec in undecimo erat cur nota ad v. 883 interrumperet filum narrationis, qua inde a v. 879 usque ad 886 inrumpentium portas Rutulorum miserrima caedes continuatur. Itaque tribus vel quattuor versibus ab alterutra parte aberravisse statuendus erit librarius.

Sed rerum varietati distinguendae insignium que locorum finibus circumscribendis aliae quoque notae in Mediceo libro inserviunt. Incipit longum de Camillae infantia emblema Aen. XI 539, ad sequentem versum adposita est obliqua lineola /; et versui 561, qui patris preces (557—560) sequitur ('dixit et') quique ipsum ἀπίθανον πλάσμα quod Probus dixit narrare incipit, suprapposita est haec figura —; caesorum a Camilla enumeratio, quae Aen. XI 666 incipit, insignita est hac nota ¡. Finita longa regis Latini oratione Aen. XI 335 respondet Drances: eius responso qui praefatur v. 336 ('tum Drances') separatus a superioribus adposita hac nota: Γ; eademque redit v. 484, cum versibus 483—485 matronarum preces contineantur. Quae Camillae Turnus respondere incipit Aen. XI 508 hoc signum habent ⁄, idemque et ad VII 152 adhibitum, ubi centum oratores Aeneas mittit, et ad V 426, ubi ipsum Daretis et Entelli certamen incipit. Quod autem etiam versui 424 recta lineola, ut dixi, suprapposita est, apparet diversas manus adnotavisse codicem Mediceum. Eadem similis S nostrae figura redit etiam in georgicis ad I 259 (unde quid per imbrem agricola operis faciat exponitur) et ad v. 311, quo hiemis opera finiuntur, et memorabilis certe casus est, ipsum illum versum 259 cum sequentibus usque ad 275 post versum 310 transponendum esse me coniecisse, quamquam non is sum, qui antiqui alicuius critici auctoritatem ex his notis eliciam. Similis figura cum trabe suprapposita ⁊ ad Aen. VII 354 videtur lectoris animum advertere ad luem per Allecto sensim Amatae inmissam; et similis tribus superne punctis coronata ⁒ et minio picta ad ecl. X 69 Galli carmen finitum, ni fallor, et in georgicis ad I 176 incipere novum caput significat ('possum multa tibi'), ad III 283 clausulae vice fungitur, cum sequantur v. 284 haec: 'sed fugit interea, fugit inreparabile tempus'; denique quod ad Aen.

I 327 adposita est, nescio an ad antecedentem potius versum spectet, qui primus orationis est, qua Veneri respondet Aeneas*). Ad ipsius paragraphi figuram proxime accedit haec ϒ, qua et ipsa orationis initium notatur, ad antigraphi (Υ) autem, qualis apud Isidorum extat, similitudinem haec ϓ, quae cum ad Aen. V 489 adposita sit, fortasse ad v. 485 revocanda erit, ubi novum sagittarum certamen proponitur.

Ergo tot tam variae figurae in Mediceo codice simplicis ductus, quem Probus adhibebat, vice funguntur. Sed quoniam semel huius libri mentionem feci, tota de notis in eo obviis quaestio hoc loco videtur absolvenda esse.

Verbo quidem tangendae notae quibus vel omissi vel superflui vel transpositi versus signantur. Omissum inter ge. II 432 et 434 spurium versiculum duae lineolae rubrae = in margine innuunt, item inter ge. I 389 et 390 pictae eodem colore // quae ad imam paginam spectant, ubi eadem praeposita nota interpolandus versus ascriptus est; sed eodem modo genuinus versus Aen. II 418 ab imo margine ad suum locum revocatur. Praeterea inter Aen. VI 241 et 243 minio pictum hoc ——o spectans item ad imum marginem, ubi nunc lacerae litterarum reliquiae num interpolatum 242 praebuerint iam certo dignosci nequit.

Iam superflua vel sigmate (C) ab altera, antisigmate (Ↄ) ab altera versus parte demuntur, ut p. 283 Aen. VII 582—585 quattuor versus qui ante v. 616 sqq. summa pagina scripti sunt, et p. 434 tres Aen. XII 375—377 media repetiti, vel picto sive utrimque sive a dextra parte theta (Θ), quo supervacua notari etiam in notarum simpliciuum anecdoti Parisini elencho feruntur, ut p. 60 ima compunctus etiam superne ge. III 261, qui in summa sequente repetitur, item bis scriptus in textu ge. III 280, sine punctis perperam post Aen. IX 732 inserti 725 sq., qui suo loco in textu omissi imo tamen margine ascripti sunt, denique simplici theta expellitur Aen. I 588 bis in textu scriptus.

Intra versus Aen. IX 278 et 279 positum Θ quid sibi velit nescio: adnotationem quidem infra ascriptam, quo spectare hanc

*) Eodemne consilio clausulae scil. significandae causa an propter aliam rationem (cf. Servius) in Palatino ad Aen. V 815 appositum sit ∴ dubito.

Digitized by Google

notam Fogginius dicit, meis oculis investigare non potui. Transpositos versus litteris *A B C D E* ordinavit diorthota, vocabula supraposito apice duplo //, quo ge. II 69 *fetu* et *horrida* locum mutare iussit.

Sed ad Probi notas quodammodo reducimur hae Cñ, quae ad ge. II 458 adpicta est; nec diversam ab ea puto hanc Cñ minio ad ge. III 66 et Aen. I 239 adpositam, sed corrigendam ut Cñ fiat. Notatur enim his tribus locis sententia memorabilis, ut *γνωμικὰ* Homeri in Veneto codice asterisco indicantur: digna enim profecto sunt, quae insidant in animo, haec 'o fortunatos nimium, sua si bona norint, agricolas!' et 'optima quaeque dies miseris mortalibus aevi prima fugit' et 'solabar fatis contraria fata rependens'. Itaque *Chresimon* hoc signum interpretor, ut prorsus adfine sit illi ☧. Et lego nunc, cum diu sit postquam haec scripsi, hoc ipsum signum Cñ in tractatu Laurentiano saeculi XV a Curtio Wachsmuth descripto (mus. Rhen. XVIII 181) positum in patrum ecclesiasticorum libris dici *ἐν οἷς χωρίοις εὑρίσκεται ξένον τι ἢ κατὰ δόγμα ἢ καθ' ἱστορίαν ἢ κατὰ φράσιν ἢ κατά τι τοιοῦτον ὀφεῖλον σημειωθῆναι τῷ ἀναγιγνώσκοντι*; unde Hermannus Schrader de notatione crit. 53 pervulgatissimum huius signi usum nec criticis proprium fuisse statuit. Nec mirandum quod in tanta sententiarum splendidissimarum multitudine tres tantum loci memoria digni visi sunt lectori: nam ne ceterarum quidem notarum ullam totum per textum constanter ubicumque locus esset adhibitam vidimus.

Immo valde inaequali studio Mediceum librum adnotavit sive unus fuit sive deinceps plures: velut ceteris quidem accuratius, quamquam minime plene, paragraphi varia signa per Aeneidis libros quattuor ultimos IX—XII, raro in V et VII posita sunt, semel in I, bis in georgicon I, semel in III, semel in bucolicis, ceteroqui nusquam. Cumque sint quae ne suo quidem loco videantur positae esse, vel paucas notas nostras ex alio sive aliis libris in Mediceum inlatas esse coniecerim.

Restat denique una $\overset{c}{N}$ quae semel ad ge. I 482 ('fluviorum rex Eridanus' e. q. s.) adhibita non dispicio quo possit spectare nisi ad observandam vocis 'fluviorum' prosodiam, qualia non dubito quin Probus et ipse enotaverit: et in simplicium saltem notarum elencho extat haec: '*M* malum metrum aut *ἀπρεπές*'.

Digitized by Google

Nec dubito quin inter vitia metri hanc quoque synizesin rettulerint critici. Huic autem quae in Mediceo reperitur notae simile videri potest quod scholiasta Veronensis ad Aen. VIII 105 quamquam lacera adnotatione adscripsit ab Herrmanno, ut narrat Buechelerus in annall. philoll. 1866 p. 71, sic lecta: '— n quod senatum R. cum Romulus [primi*tus legit*, centum] ex senibus nuncupaverit'. Quorum quod in principio positum est *n* Maius falso de *Niso* nomine, Bergkius autem diar. antiq. 1845 p. 110 satis audacter sic interpretatus est: 'Nota >.' Quid si nihil aliud sit quam extrema vocis cuiusvis littera? Quamquam posse etiam vel 'numerum' vel 'notandum' significare Servio duce conicias. Quaeritur enim cur 'pauper senatus' Euandri dicatur, cuius rei duplicem ille causam proponit '*pauper* autem aut ad numerum retulit, centum enim sub Romulo fuerunt, aut re vera pauper, per quod Romani imperii ostenditur parsimonia pro laude tunc habita'. Poterat ergo Veronensis quoque interpres hanc quaestionem notula aliqua praeposita attingere. Sed certiora adfirmare in tantis tenebris nolim.

Ceterum Marulli exemplo, quem Victorianum Lucretii codicem notis quibusdam criticis velut de qua supra dictum est χ littera instruxisse Hermannus Sauppe nuper in prooem. Gottingensi 1864/5 p. 11 et 14 probavit, monemur ne Medicei quidem signa illa ex antiquitate necessario aut satis probabiliter repetenda esse.

Cognovimus igitur ex frustulis quae hinc illinc expiscati sumus commentariorum et ex notarum elencho grammaticum talem, qui in emendandum et acerrime omnes in partes perscrutandum scriptoris textum intentus plana et facilia transierit, ambigua tamen vel obscura vel corrupta minime arido commentandi genere tractaverit, denique quibuscumque locis sive diligentissima sermonis observatione sive rerum ex philosophiae arcanis aut historiarum thesauris repetendarum enarratione sive multiplici Graecorum Latinorumque scriptorum lectione sive ingenii acumine novae aliquid lucis adferri posse putabat, ne quaestionum quidem ambages et devia fugerit.

Talem autem imaginem verum est commentario in bucolica et georgica, qui M. Valerii Probi auctoritate fertur, exigua tantum ex

parte comprobari; cuius cum universa indoles tum singulae quaedam particulae adeo a Berytii doctrina ingenio rationibus abhorrere visae sunt Alexandro Riese, ut dissertatione 'de commentario Vergiliano qui M. Valeri Probi dicitur' scripta integrum commentarium a Valerio Probo Berytio abiudicaverit. Cui equidem in Fleckeiseni ann. philoll. 1863 p. 351 sqq. ita adversatus sum, ut inesse multa inepta stolida confusa, quae diversis ex fontibus paulatim inlata sunt, concederem non tamen esse contenderem, cur exquisitae et vere antiquae eruditionis reliquias, velut ad ecl. VI 31 (p. 10—21) X 18 ge. I 14. 227. 244 (p. 40, 16 sqq. K.) II 84. 126. 224. 506 III 19. 113. 146. 267 adnotationes ex Probi nostri commentariis petitas esse negaremus; nec magis quam mihi persuasit ille H. Keilio (cf. Symbol. philoll. Bonn. I 93).

Nam interpolatum alienis titulis commentarium nostrum esse vel ordo adnotationum quarundam docet: adglutinatae in extremis libris sunt post ge. II 506 (p. 53) interpretationes versuum 361. 417. 519. 536, post ge. III 475 (p. 64) vv. 129. 264. 339, post ge. IIII 535 (p. 67 sq.) vv. 110. 232. 246. 380. 371; praeterea in tertio georgicon singulae v. 391 (p. 63) inter v. 312 et 338 (non igitur mirum, Panis et Lunae fabulam ibi narratam parum convenire cum eis quae adnotavisse Probum Macrobius refert), item v. 282 (p. 62) inter 255 et 267, v. 202 (p. 61) inter 180 et 197, denique v. 122 (p. 60) inter 92 et 113, ut frustra sit qui hinc Tittleri coniecturae, qua v. 120—122 post v. 96 revocandos esse mihi quoque persuasum est, quidquam auctoritatis accire animum inducat. Quae autem his et aliis pannis resectis restant male et ipsa partim contracta partim inflata et deformata minime integrum Probi commentarium repraesentare, sed lacinias quasdam excerptoris arbitrio hinc illinc desumptas esse vel eo demonstratur, quod quae ad ecl. VI 76 X 66 ge. I 403 III 5. 391 adnotavisse Probus ab aliis expressis verbis traditur, frustra in nostro commentario quaeruntur. Eademque fere, ni fallor, Osanni symboll. litt. II 274, Iahnii prolegg. ad Pers. CXLII, Bergkii ephem. antiq. 1845 p. 127 sententia fuit.

At textum Vergilii qualem in lemmasi maximam partem commentarius exhibet cave ne credas a Probo constitutum esse. Quem non probabile est talia probavisse qualia sunt in ecl. IX 14 *componere lites* (ubi rectius libri *incidere*), ge. I 7 *vestro quia munere* (quod H. Keilius in lemmate *vestroque in m.* latere coniecit

pro librorum scriptura *vestro si m.*), 103 *iactet* (pro *iactat*), ge. II 249 *reddit nobis* (corruptela in Mediceo quoque obvia pro eo quod verum est *redit a nobis*), 383 *atque* (cum *MR*, *et quae* ceteri), II 98 *adsurget* (libri *adsurgit*), 388 *sed* (pro *et*), 536 *Dictaeo regi* (pro genetivo), III 202 *hic* (pro *hinc*), III 293 *Castalios fontis* (pro *Castaliam molli*), IIII 2 *prosequar* (pro *exequar*), 247 *in foribus laxos* (turbato verborum ordine pro *laxos in foribus*). Nec alia causa nisi neglegentia excerptoris factum esse puto ut integri versus ge. III 28 sq. et 31 et 391 sq. 'si eredere... Arcadiae' in lemmasi et in commentario omissi sint.

Itaque minime constat Probo ge. I 60 placuisse *aeterna*, cui in sententiarum inde a v. 53 conexu praestare sentio Palatini *alterna*. Ergo et his et ceteris locis, ubicumque Probi nomine in varia lectione enotanda usus sum, ita velim intellegi, ut brevitatis causa quid in commentario qui fertur Probi legatur, non quid ipse Probus scripserit memoravisse statuar. Ac sunt sane in illius quoque scripturis quae cum per se vel sententiae vel sermonis rationibus prorsus commendentur, nostrorum quoque librorum sive omnium sive plerorumque sive adeo singulorum firmentur testimoniis, ut ecl. IIII 58 *Pan etiam*, ge. II 86 *orchades*, III 351 *medium*, IIII 14 *aliaeque volucres;* porro ge. I 73 *sidere* (ubi *semine R*), 102 *Mysia* (ubi *P2c Moesia*), 218 *averso* (*adverso M*), 226 *avenis* (*aristis MR*), 337 *caelo* (cum *M*, ubi *caeli* ceteri), II 89 *pendet* (*pendent M*), III 204 *Belgica* (*bellica M1P*), 475 *Iapydis* (*Iapygis M1PRγ*), IIII 125 *arcis* (*altis Fac*).

Praeterea probo cum Keilio quod solus ex ceteris Moretanus quartus habet ecl. I 59 *aequore*, sed hic locus cum in prolegomenis de bucolicon genere universo, ubi bona malis mixta sunt, laudetur, quis spondeat Probi scripturam esse? In lemmate extat, quod contra omnium librorum consensum recepi, ge. I 103 *mirentur*, nec dubito quin veram poetae sententiam restituerim, quae haec est: 'hiberno pulvere tam laeta farra vobis, agricolae Latini, crescent, ut ipsa Gargana, tales messes suas si conspiciant, miratura sint'. Sed huic ipsi loco tam parum docta de Mysia, quae Adriaticum scilicet sinum contingat, notatio adposita est, ut Probi auctoritas hic quoque evanescat.

Digitized by Google

§ 8.

Valerii Probi copiis usus est *Flavius Caper* (cf. H. Keilius gramm. Latt. vol. IIII praef. XVIII. XXV), qui in grammaticis libris 'dubii generis' et 'enucleati sermonis' et quos de latinitate et de praepositione *ex* conscripsit et in aliis fortasse ita usus est Vergilii carminibus, ut explorata vel lege grammatica vel vocabuli vi modo de sententia singulorum locorum modo de textu constituendo disputaret.

Vindicavit igitur Aen. X 377 traditam scripturam '*magna* claudit nos *obice* pontus' (in libris dubii generis: vide Servium), emendationem Hygini Aen. XII 120 'velati *limo*' commendavit. Ascito Homeri exemplo rectius interpretatus est IX 709 '*clipeum* super intonat ingens'*), 'cum de praepositione *ex* tractaret' (Serv.), idem tamen argutatus de VI 545 verbis 'explebo numerum', ubi aspernatus simplicissimam et unice veram explicationem, qua completurus umbrarum numerum Deiphobus habetur, satis ceteroqui docte ac subtiliter et Ennii exemplo suam defendisse videtur sententiam et reliquas refutavisse (v. Serv.). 'Allecto' nomen (VII 324) Probum narravit monoptoton putare (Charisius 94 P. 118, 1 K.). In libello, qui in Putschii corpore extat, de orthographia p. 2250 probatur *opilio* scriptura (quae ecl. X 19 Palatini m. pr. est) prae altera *upilio* (in *MR*). Sed commentario Vergilii carmina persecutum esse iure negaverunt Suringar p. 218 sqq. et Ritschelius Parerg. 361.

---

*) Servius Aen. IX 709 'aut ipso ingens supor clypeum intonat, aut ingens clypeum super ipsum tonat. nam lectum est etiam *hoc clypeum*, ut probat Caper: quod magis debemus accipere. nam Homerum imitatus est qui ait Δ 503 ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ'. Secuti eum et Nonius in capite tertio, quod est 'de indiscretis generibus per litteras', et de eisdem quamvis brevius praecipiens Cledonius, qui, sive ipsi sive per alios Capri de dubiis generibus libris usi sunt, etiam alia, quae Vergilianos locos tangunt, ex eodem fonte sumpsisse putandi erunt. Ac secutus Caprum Nonius est etiam in verbis 'explebo numerum' VI 545 interpretandis: p. 298, 12.

Digitized by Google

§ 9.

Urbani aetas paulo certius definiri potest collatis Servii ad Aen. V 517 et scholiastae Veronensis ad eiusdem libri v. 488 adnotationibus. Unde certum fit Cornuti commentarios respexisse Urbanum. Defendit enim vituperatum ab illo poetam quod 'sacram matri suae avem sagittis figendam constituerit' Aeneas, cum diceret 'matrem citius potuisse placari'. Et hanc rursus excusationem Longus, ni fallor, suis argumentis supplevit: et Homeri exemplum secutum esse Vergilium et quamcumque suspendisset avem futurum fuisse ut in crimen incideret, cum 'singula genera alitum dis quibusque consecrata' sint.

Ergo Cornuto iunior Longum aetate antecessisse putandus erit Urbanus. Et quoniam in obtrectando poeta quaestionibusque nectendis versatum novimus Cornutum, fortasse aliis quoque locis Urbanus, ubi causam illius contra adversarium agere videtur, Cornuti potissimum commentarios respexit. Velut paulo post in eodem certamine ad Aen. V 493 in Guelferbytano codice haec leguntur: 'quomodo Mnestheus (sc. victor), cum Cloanthus victor extiterit? solvitur: sed victor Mnesteus virtute, qui de ultimo ad tertium locum venit' e. q. s. Paulo diversam, quamquam minime illam probabilem, sed quae tamen ad eandem difficultatem motam fortasse a Cornuto spectet, sententiam Urbanus protulisse fertur: 'Urbanus vero dicit *modo* propemodum, paene. nam secundus fuit'. At nescio cuius ratio sanissima ei displicuerit in explicandis Aen. VI 609 verbis 'fraus innexa clienti'*): ignoravit autem quae antiquo tempore patronum inter et clientem necessitudo intercessisset, nec ultra suae aetatis pravam consuetudinem sanctissimi instituti rationem scrutatus erat. Perverse idem ge. II 424 'gravidas cum vomere fruges' verba interpretatus est 'statim post arationem

*) Servius Aen. VI 609 'et fraus innexa clienti] ex lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est: patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto. si enim clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres, tantundem est clientem quantum filium fallere . . . Urbano tamen hoc displicet, et dicit rarum esse hoc magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes (cf. *Friedlaender*, Sittengesch. Roms I 207 sqq.). Vult autem intellegi praevaricatores, qui patroni sunt clientium, quos nunc *susceptos* vocamus.'

gravidas'. Atque omnino quantum ex paucis sane frustulis colligere licet, parum vel explicandis vel restituendis Vergilii carminibus profuisse videtur. Nam ne filum quidem narrationis recte tenuit, quod Aen. X 661 'ille autem Aenean' legi voluit*), unde servatum videtur quod in *PR* extat AENEAN. Quamquam inesse in vulgato textu aliquid turbarum sensit profecto.

Alterum quendam locum (Aen. IIII 548 sq.), cui et ipsi transponendis versibus remedium adhibui, valde artificiosa ratione tractavit, maxime, ni fallor, ut praesentium temporum 'oneras atque obicis' usum vindicaret**). Nec magis probabilia quae de pronuntiandis per interrogationem Aen. VII 556***) et de distinguenda oratione IX 391†) suasit, quamquam hic aliis paulo prudentior Niso verborum suorum partem saltem restituit.

Subtiles eiusdem, sed tamen non verae ad IIII 384 de 'atris ignibus'††) et ad IIII 469 de agminibus Eumenidum†††) sen-

---

*) Servius Aen. X 661 '*illum autem* etc. sic melius, quam sicut nonnulli volunt. Urbanus namque sic legit: *ille autem Aenean absentem in proelia poscit*, ut 'obvia — morti' de nautis in navi inventis intelligamus, quod non procedit. nam absens dicitur qui recedit, quod nunc Turno congruit, non Aeneae, qui interest proeliis'.

**) Servius Aen. IIII 548 'Urbanus hoc dividit, licet alii iungant, et vult hunc esse sensum: tu persuasisti ut nuberem, victa lacrimis meis, tu etiam nunc me his oneras malis. nam me olim occidissem, nisi te deserere formidarem'.

***) Servius Aen. VII 556 'Urbanus tamen totum hunc locum per interrogationem vult accipi: *terrorum et fraudis abunde est? stant belli causae?* ut quasi per gratulationem non credat sicut illud Terentii: quia plus cupio', 'minus cupio' (cf. adelph. IIII 5, 64).

†) Servius Aen. IX 391 '*iter omne revolvens;* Urbanus hucusque verba Nisi vult esse, alii poetae dant *rursus — revolvens* [*fallacis silvae;* ut Nisus 'usquequaque sequar' dixisse videatur]'.

††) Servius Aen. IIII 384 'sequar *atris ignibus*; alii furiarum facibus dicunt — alii sociorum — melius tamen est ut secundum Urbanum accipiamus *atris ignibus* rogalibus, qui visi tempestatem significant, ut Aeneae, sicut in quinto (7) legimus, contigit. hoc ergo nunc quod factum est dicit, i. e. occidam me et rogalibus te persequar flammis' cf. idem ad V 7.

†††) Servius Aen. IIII 469 'Eumenidum — videt *agmina*] aut impetus aut secundum Urbanum agmina serpentium. [aut secundum quosdam quia habitus earum et sibila serpentium, quibus crinitae sunt Eumenides, faciem agminis praebent, vel quia plures furiae putantur, vel quia furiosis pro tribus plures videntur]'.

Digitized by Google

tentiae leguntur: unum recte animadvertisse videtur, quod 'sunto' IIII 624 usurpatum iuris sermonem sapere monuit *).

§ 10.

Velium Longum grammaticum Gellio (XVIII 9, 4) antiquiorem, Urbano ut vidimus posteriorem, qui negavit commentatorem Vergilii fuisse Bergkius in diurnis suis 1845 p. 117 singula testimonia gravissima vix satis pensitavit. Nam et Charisius expressis verbis p. 154 P. 'in II Aeneidos', h. e. in commentario ad secundum Aeneidos, testatur illum commentatum esse**) et quod p. 88 P. 'in V' eundem quandam de adverbiis regulam dicit exposuisse, ad quinti Aeneidos libri versum 380, quem ipse Charisius adposuit, talia praecepisse putandus est (cf. Charisii exc. 556 K. Prisc. 647 P. Servius Aen. V 380 Lachmannus ad Lucr. p. 146); nec aut artem poetae laudandi, qui Ascanii pueri indolem recte descripsisset***), aut obtrectatorum crimina ad historiam, non ad scribendi genus spectantia refutandi aut de versuum singulorum velut X 1 et III 84 sententia disputandi locus erat in commentationibus mere grammaticis, quales de thermis Titianis, non Titinis, de usu antiquae lectionis, de orthographia denique conscripsit. Ac non doctum modo sed omni fere ex parte egregium, accuratum et prudentem et elegantem Aeneidos (nam de ceteris libris nihil traditur) interpretem habuerim, qui Probi exemplo ad uberiores de rebus maxime grammaticis quaestiones digressus est. Itaque ad II 1 de dualis numeri, quam quidam putabant, forma 'conticuere' et similibus disputavit, ad V 380, ubi de 'alacris' nominativo monuit, in rationes adverbiorum in *ter* exeuntium inquisivit, ad II 79 de adverbii 'primum' usu et de versu Lucre-

---

*) Servius Aen. IIII 624 'nec foedera sunto] *sunto* autem, i. e. sint — Urbanus dicit, verbo eum iuris usum propter odia hereditaria'.

**) Charisius 154 P. 'amavere pro amaverunt, docuere — dixere — muniere — quam figuram alii duplicem existimant, *de qua etiam Velius Longus in II Aeneidos satis commentatus est:* conticuere omnes intentique ora tenebant'. Huic ergo sua debet ad Aen. II 1 Servius.

***) Schol. Veron. Aen. IIII 158 p. 93, 22 K. '*votis optat aprum.* Long. indolem pueri vult ostendere, ut merito in IX 590 sqq. Numanum occidisse videatur'. Cf. Servius: 'et bene puerilem ostendit animum, qui per mobilitatem frequenter optat timenda'.

tiano III 94 commentatum esse*) probabiliter statuit Lachmannus Lucr. p. 146; nam Lucretianum Longi commentarium extitisse iam Ritschelius Parerg. 363 negavit. Praeterea veriloquia vocabulorum 'segnis' et 'formonsus' elicuit**), et adhibito etymo Graecorum nominum *Selinus****) et *Plemyrium*†) formas constituit, cum *Selinys* aliis placuisse nostri libri *(MPRV)* testentur, *Plemyrium* receptum in *MR*, at *Plemurium* in *PV*. Ipsius poetae sermonem illustrans adverbium *istic* Plauti exemplo comprobavit††) et de *ferus* vocabuli vi quaesivit†††). Patientior in tolerando soloecismo erat quod X 245 *crastina lux . . . spectabis* antiquiorem ut videtur scripturam, quae sane in *MP* et a manu priore in *γ* quoque extat et Donati ad Ter. hec. III 1, 6 testimonio nititur, commendavit (Servius). Melius defendit poetam contra Cornutum Homeri auctoritate*), ac fortasse idem adversarius fuit

---

*) Charisius 187 P. '*primum* Lucretius: primum animum dico, mentem quam saepe vocamus (III 94). ubi Velius Longus primum, inquit, adverbialiter audiendum est'.

**) Schol. Veron. Aen. IIII 149 p. 93, 16 K. 'haud illo segnior. Longus: *segnior* deformior accipiendum, siquidem segnis est sine igno, id est frigidus. nam et *formonsum* non aliunde dicimus quam a calido: formum enim dicebant antiqui calidum, un — h —— —— *segnem* pro deformi — dicit Vergilius'. Cf. Servius ad Aen. VIII 453.

***) Schol. Veron. Aen. III 705 p. 93, 1 K. '*Selinus*. Longus: quasi Opuns Amathus, unde Selinuntii quasi Opuntii et Amathuntii dicuntur. Selynas . . . Olympionicas multos fuisse adfirmat Milestos' (Melissus?). Cf. Servius: 'civitas iuxta Lilybaeum, abundans palmis et apio. σέλινον enim apium dicitur'.

†) Schol. Veron. Aen. III 693 p. 92, 15 K. 'Plemyrium undosum. Long. *plemurium* fuit, emendatum *Plemyrium* promontorium Siciliae: dictum autem ἀπὸ πλημυρίας ideo est, quod undique fluctibus undisque adluatur'. Servius l. l. 'quidam insulam, quidam fluvium putant dici. sane verbum de verbo expressit. hoc est enim *undosum* quod *plemyrium*: πλημμυρία enim inundatio Graecis dicitur'.

††) Schol. Veron. Aen. X 557: 'Lon. *istic* pro hic, ut Plautus in Rudente (I 2, 43 sqq.)' cf. Servius.

†††) Schol. Veron. Aen. VII 489 p. 98, 9 K., unde fortasse fluxerunt Servii ad eundem l. et ad II 50 coll. I 215 V 818 XI 571 et Nonii p. 307, 15 explicationes.

*) Schol. Veron. Aen. V 488 p. 96, 10. 'Long. adnotat Cornutus, quod indecenter sacram matri suae avem sagittis figendam constituerit. sed videlicet Homerum secutus est' e. q. s.

cui de nymphae filio Tarquito respondit*). Merito dubitavit utrum libri X initio pandi Olympus ad matutinum tempus significandum dicatur an simpliciter ut concilio deorum aditus aperiatur**); quamquam et rerum quae secuntur ordine et Iovis v. 107 verbis 'quae cuique est fortuna *hodie*' manifestum fit, crastinam lucem, quam ingentis Rutulae caedis acervos spectaturam esse somnianti Aeneae praedixerat v. 244 Cymodocea, simul cum aperto v. 1 Olympo ortam esse. Quod recte perspexerunt Gossrau et Ladevicus. Sed poeta temporum rationes planius debebat indicare. Restat Macrobii locus***), qui docet argutias Longum interpretandi sanissimo iudicio fugisse.

His vero frustulis accedit integer Longi de orthographia libellus, qui qualem poetae textum probaverit sat multis locis luculenter testatur. Sed hunc in indice grammatico cum librorum testimoniis conferam.

§ 11.

Q. Terentium Scaurum 'Hadriani temporibus grammaticum vel nobilissimum' (Gell. XI 15), qui Plauti Pseudolum interpretatus est (Rufinus p. 2711 P. coll. Ritschelio Parerg. 374), com-

*) Schol. Veron. Aen. X 551 p. 105, 7 K. 'Long. quaerunt quidam, quomodo, si ex Fauno et nympha creatus sit, mortalis esse potuerit, tamquam non Eryx, Neptuni et Veneris filius, tamen ab Herculo sit occisus, ant tamquam constet nymphas immortalis deas esse'. (delevi 'quia' ante 'tamen'.) Quae augeri possunt Servii adnotatione.

**) Schol. Veron. Aen. X 1 p. 102, 21 K. 'panditur interea domus omnipotentis Olympi. Long. utrum sic domum dixit aperiri, quomodo et Homerus χαλκοβατὲς δῶ, αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον ὧραι, et Ennius non tantum domum, sed etiam cenaculum caeli? an per hoc diem significat: facto enim die omnia reserantur' (inserui *an* post 'caeli'). Cf. praeterea Servius.

***) Macrobius Sat. III 6, 6 'eodem versu' (non Aen. III 89 sed 84: saxo venerabar structa vetusto. lege 'eodem loco' vel 'libro') 'non omittendum puto, cur *saxo vetusto* dixerit extructum templum. *Velius Longus* immutatio est, inquit, epitheti: vult enim dicere vetustatem templi. hunc multi; alii commentatores secuti sunt, sed frigidum est aedificii aetatem notare. Epaphus autem, vir plurimae lectionis, libro septimo decimo ait Delphis quodam tempore evenisse' c. q. s. Eadem ad verbum fere redeunt apud Servium ad Aen. III 84: cf. idem ad I 375 et VIII 478. Epaphus ille quis fuerit nescio.

Digitized by Google

mentatorem Aeneidos ter laudat scholiasta Veronensis, ad Aen. IIII 146 V 95 et ad incertum libri XII inter 684 et 707 locum (p. 107, 22). Et primo quidem cur in Apollinis choro Deli Cretes esse dicantur 'Phalarcho' vel, ut H. Keilius cum aliis probabiliter statuit, Phylarcho auctore enarravit; altero, ubi serpentem ex adytis ad Anchisae tumulum prorumpentem 'geniumne loci *famulumne parentis* esse putet' dubitat Aeneas, Pythagorae fabulam (cf. Servius) repetiit, qua de medullis hominum, sepultorum scilicet, angues creari putabantur. Accedit quod in disceptanda unius versiculi (Aen. III 484) scriptura quid ille legerit Servius narrat: 'nec cedit *honori* . . . Scaurus vero *honore* legit et intellegit: honore non cedit Heleno' e. q. s. Atque praebent eandem lectionem, quae Silio quoque placuerat, ex nostris libris *Pγla*, alteram *GMγ2bc*. Bucolica eundem commentatum esse ex scholiis Bernens. ad ecl. VIII 65 efficio, ubi haec extant: '*verbenas* genus herbae castissimae vel ex loco sancto sumptae, ut *Terentius* et Iunilius dicunt'. Terentium enim Scaurum nostrum intellego, cuius etsi nomen tacens Servius interpretationem tamen tetigit his: 'alii verbenas virgulta religioni apta'.

Quamquam dubium non est, quin aliis quoque in scriptis, maxime in commentariis in artem poeticam nec non in eis quae 'de Caesellii erroribus' composuit (Gellius XI 15) et in 'arte grammatica' Scaurus Vergilii exemplis usus quae in ipso Aeneidos commentario proposuerat vel, ubi res ferebat, suppleverit ampliore disputatione vel obiter tetigerit. Unde factum ut ne eorum quidem, quae Charisius et Diomedes ex illis in artem poeticam libris attulerunt, umbra in Servii scholiis prorsus evanuerit*). In ortho-

*) Charisius 188 '*primus* pro in prin:is. Maro: Troiae qui primus ab oris, ubi Q. Terentius Scaurus *commentariis in artem poeticam libro X* non qui ante omnes inquit, sed ante quem nemo est, et addit: 'quo genere plures primi accipi possunt'. Servius Aen. I 1 '[*primus* non ante quem nemo, sed post quem nullus, vel hic primus princeps vel optimus]'. Eadem fere postea: ('primus ergo non ante quem nemo, sed post quem nullus ut ge. I 12 ecl. I 45. vel laudative primus ut Aen. VI 811'). Apparet his Scauri explicationem refutari.

Diomedes 439 '*hypozeuxis* est cum singulae res aut personis subiciuntur aut verbis, ut Aen. X 149—154. hypozeuxis est, ut Scaurus ait, figura superiori (scil. zeugmati) contraria, ubi diversa verba singulis iunguntur'. Scauri mentionem omittit Charisius 250.

Diomedes 444 '*macrologia* — Scaurus ita definit, longa descriptione

graphicis rebus quae Scauri auctoritas fuerit, in indice nostro apparebit.

§ 12.

Caesellii autem *Vindicis* quoniam mentionem feci, ex *lectionibus* eius *antiquis* Gellium IX 14 sua mutuatum esse si recte Kretzschmerus (de Gellii fontibus p. 95 sqq.) coniecit, hic testis habendus erit genetivorum *dies*, quae forma in idiographo Vergilii ge. I 208 libro inventa fuisse narratur, et Aen. I 636 *dii*. Idem apud Gellium II 16 'in commentario lectionum antiquarum' explicavisse fertur Aen. VI 763, ubi quod Silvius *postuma* proles Aeneae longaevo a Lavinio educatus fuisse narratur, postumum non qui mortuo patre, sed qui postremo loco natus sit, recte intellexisse videtur.

Reprehenderunt errores Caesellii Vindicis quos non multo recentiores aetate fuisse recte post Bernhardyum Kretzschmerus coniecit Terentius Scaurus et *Sulpicius Apollinaris* Carthaginiensis, quem Gellius adolescens Romae audivit. Hunc in *quaestionibus epistulicis* maxime, quibus Gellius usus est, Vergilio operam navasse Mercklinus annall. philoll. suppl. III p. 659 statuit; et mirum 'quaestiones' aliquas vel 'silvas' Sulpicii circumspicientem Graefenhanium in diurnis antiquitatt. 1847 p. 20 illas prorsus fugisse. Is autem Caesellii de *postuma prole* sententiam supra laudatam argutius quam verius refutavit, sed accepta eius ratio, qua *longaevus* explicatur 'immortalis factus', a Servio. Docta idem dissertatione, quae apud Gellium XVI 5 et paulo mutatis verbis a Servio apud Macrobium VI 8, 14 sqq. profertur, *vestibuli* Aen. VI 273 notionem explicavit, refutans hic quoque alios, inter quos etiam Caesellius fuisse potest. Laudat praeterea Gellius VII (VI) 6, 12 Sulpicii de *praepetum* avium notione sententiam, postquam Hygini pravum de Aen. VI 14 sq. iudicium refutavit, ut illius ex commentario quodam sua hausisse putari possit.

Convenit Sulpicio cum Probo de Aen. IX 369, quem contrarium illi VII 600 esse adnotaverat Berytius. Hunc autem con-

---

producta sententia, ut est Aen. XII 113—115, cum sit satis dixisse: sole orto'. Cf. Servius ad l. l. et ad Aen. II 268 IIII 522.

sensum ut profiteretur, fortasse eiusdem illius Caesellii sententia diversa adductus est. Et defenditur locus culpatus apud Servium, cuius verba ipsa 'non est contrarium illi loco' c. q. s. Probi indicio opposita sunt: quid ergo si Caesellium in lectionibus antiquis et illud *regis*, quod 'in omnibus bonis dicitur inventum' et poetae neglegentiam adversus Probum ea fere ratione defendisse dicamus, quam apud Servium etiamnunc legimus? Probum Sulpicius in eo quoque secutus est, quod duplex *i* in 'subicit' (ge. II 18) 'inice' (Aen. VI 366) 'obicibus' (ge. II 480) commendavit (Gellius IIII 17), non tamen ut pervicisse videatur sententiam: nostri enim libri omnes antiquam scripturam servant. Sed hic quoque Caesellii adversarium fuisse Sulpicium non suspicabitur, qui meminerit, illum quoque in orthographia p. 2317 P. praecipere, quod Probus docuerat, 'Pompeiius Tarpeiius eiius per duo ii scribenda' esse.

Idem Sulpicius exemplar Aeneidis sive a se ipso sive ab alio aequali certe recognitum et epigrammate ornavit, quod in vita Vergiliana de commentario Donati sublata servatum est (Sueton. rell. p. 63 Reiff.: cf. ibid. p. 54, 2 sqq. et quaestt. Suetonn. 399), et in singulos libros argumentis hexastichis (in Burmanni anthol. II 194, apud H. Meyerum n. 223: cf. L. Mueller mus. Rhen. XIX 120. 122), ut singularum Terentii fabularum argumenta idem duodenis senariis enarravit et quindenis versibus Plautina quoque argumenta comprehendisse valde probabiliter a Ritschelio prolegg. Trin. p. CCCXVIII statuitur. Ergo princeps fere eorum habendus, qui postea Vergilianorum poematum argumenta breviter adumbrare variis lusibus certaverunt: cf. anthol. Lat. Burmanni lib. II 188—195 et in add. tomi II p. 726. Notas criticas exemplari suo Sulpicium addidisse, quo grammatici postea usi sint, Graefenhanius l. l. coniecit, sed non demonstravit.

§ 13.

De *Helenio Acrone*, Terentii et Horatii commentatore nobilissimo, quem extremo fere saeculo p. Chr. secundo vixisse Schottmuellerus (de C. Plinii Secundi libris grammaticis I p. 32) et Hermanno Usenero (de scholiis Hor. p. VII) et mihi persuasit, unicum quod ad Vergilium spectet testimonium ex Servio elicuit

Parrhasius epist. qu. IIII 5, qui *Helenii* nomen in litteris *hebrius* et *hebrus* latere statuit. Legisse autem Hebrius ille vel Hebrus vel Helenius Aen. VII 6 *quierant* dicitur, non *quierunt*, quod quamquam hoc loco codices omnes servarunt, tamen nescio an XI 300 Romani scriptura *quierant* ex illius auctoritate nata sit.

Sed etiamsi certior Parrhasii emendatio esset, huic exemplo nisi alia accedant, temerarius sit qui contendere animum inducat in commentario potissimum Aeneidis Acronem hanc formam commendavisse, cum Terentianos certe commentarios uberrimas de aliorum quoque poetarum elocutione copias continuisse vel pauca ex Iulio Romano apud Charisium delibata exempla satis probant.

Ex quibus unum ut afferam, ad adelphon V 9, 5 de accusativi forma *ambos* ita disputavit, ut Verrium Flaccum diceret errare, qui putaret *hos ambo* dici debere. Ergo nisi fugerunt grammaticum doctissimum loci, quos Iulius Romanus apud Charisium p. 96 P. attulit, Vergiliani ge. IIII 88 et ecl. VI 18, putandus erit hic quoque *ambos* commendavisse. Et scriptum id ipsum extat priore loco in *Pc* et e corr. in *ab*, utrumque legi testatur Philargyrius; etiam in altero loco, ubi Servius solum *ambo* agnoscit, *ambos c1m* exhibent; denique idem codex *c duos* ecl. V 68 solus praestat, cum ceteri *duo* tueantur. Nam de hac quoque forma Acronem in adelphon commentario adnotavisse docet Charisius p. 101 P.

At ut eundem, qui scripturam *quierant* Aen. VII 5 commendavit, Vergilii carmina recensuisse statuamus cogunt quae in Bernensibus scholiis ad georgicon libri IIII locos aliquot traduntur: ad v. 26 'conice, *inebrii* coice';

77 'nactae, *inebrii* nanctae non nactae' (habet 'nanctae' *P* et in mg. *γ*);

88 'ambos, ambo *iuxta ebrium*';

120 'intyba *inebrii*, intuba in Corniliani' (sed 'intiba *inebrii* intuba in *corniliani*' cod. 167 teste Hermanno Hagen);

131 'vescum, *inebrii* seram' ('seram' in litura teste eodem);

169 'feruet, *inebrii* feruit' (*fer*‡*//* sic, litteris *uit* in litura; teste eodem cod. 167: 'feruit', corr. m. 1 'feruet inebrii feruit'; 'fervit' *F1* et probat Philargyrius);

175 'forcipe *inebrii* et forfice in Corniliani';

545 'Orphei, *inebrii* Orphi, alii genetivo alii dativo' (ORPHÈI *M*);

564 'Parthenope, *inebrii* Parthinope' (sic etiam in cod. 167) 'quae nunc Neapolis, in qua scripsit Vergilius'.

Primum certi cuiusdam exemplaris scripturas genetivo isto *inebrii* indicari maxime eo demonstratur, quod v. 131 *seramque papaver* pro *vescumque p.* memoratur, qui apertus librarii error est, cum ex eodem sequentis versus loco 'seraque revertens' huc inlatum sit *sera*. Ceterum habes formas grammatico docto haud indignas. Nam *coice* formam antiquam esse Lachmannus inprimis ad Lucr. p. 136 demonstravit (cf. Corssen de pronunt. I. L. I 96), servaveruntque eam *P* Aen. X 801 et *R* V 662 X 646. De participio *nanctus* nemo dubitat: extat autem praeter nostrum locum Aen. IX 331 in *P2Rγ*, item in *R* Aen. VII 511 et XII 749. *Intyba* scripturam non agnoscunt libri nostri, qui utroque loco ge. I 120 et IIII 120 de *intiba* consentiunt, quod in cod. 167 scholion quoque exhibet: ceterum cf. Wagneri orthogr. Verg. 485. De verbi *fervere* duplici coniugatione a doctissimis grammaticis quaesitum esse docent Priscianus p. 866 Probus p. 1413 P. Nonius s. v. praeter alios (cf. Neue Formenl. 324), et proficiscuntur fere a Terentii et Vergilii exemplis, ut horum maxime poetarum commentariis videatur quaestio profligata esse. De *forcipe* praeter Servium Charisius p. 74 Velius Longus 2232 Marius Victorinus 2470 P., ex quibus Charisius et Longus ipso Vergilii exemplo VIII 453 usi sunt, ubi nunc *forfice* soli *R* placuit, ut in eodem etiam XII 404 extat. *Orphi* dativus Aemilii Aspri memoriam revocat, qui de genetivis Achilli Oili Promethi Neri Teri docte disseruit. *Parthenope* nomen Buechelerus olim per litteras mihi significavit videri grammaticum nostrum, ut qui antiquas formas dilexerit, sine aspiratione scribi voluisse: et legitur m.1 *partenope* in *γ*. *Parthinope* legisse criticum nostrum statuit Hagen. Denique accusativum *ambo* quis commendaverit supra vidimus. Et mire accidit ut, si in *ebrii* vel *hebri* nomine emendando semel ariolari audemus, litterae quidem ab *Helenii* pari fere spatio atque a *Verrii* nomine absint. Et potuisse *Verrium Flaccum* de omnibus illis vocabulis praecipere partim in libris de orthographia partim in epistolis partim in aliis scriptis, vel pauca illa docent, quae hic illic inde excerpta collegit O. Mueller in praef. ad Fest. p. XIV sqq. Cf. praeterea quae de *Mezentio* nomine in mus. Rhen. XII 419 sqq. disserui, quod duabus *z* scribi Verrius iusserat.

Et prorsus quadrat ad eius auctoritatem quod ge. IIII 88 *ambo* 'iuxta ebrium' fuisse dicitur, cum Helenium Acronem huic ipsi formae adversatum fuisse supra memoratum sit. Nec illud non probabile, Verrium Flaccum Vergilii carmina in suo saltem exemplari et cum doceret in schola Palatina (Sueton. de gramm. 17) emendavisse emendationesque eius vel transcriptas vel a discipulis calamo exceptas in alios codices et in commentarios transiisse. Nec desunt in nostris etiam scholiis exempla, quibus ipsius poetae nostri locos quosdam ab illo illustratos esse probetur (e. g. Serv. Aen. XI 143 ecl. VII 53). Sed haec omnia quam incerta sint haud dissimulo nec contradico, si quis *Hebrum* vel *Hebrium* ignotum hominem inter Vergilii editores referre tutius duxerit.

§ 14.

Haterianum, quem *Iulium* illum fuisse, cuius de Victorino imperatore iudicium in triginta tyrannorum historia cap. 5 laudatur, Graefenhanius IIII 304 coniecit, non Veronensibus tantum scholiis, sed Macrobii quoque memoria novimus grammaticum haud contemnendum, qui Aeneidos textum et emendavit et distinxit et illustravit. Ac primum dignissimum scitu est, quod Aen. X 243 eandem scripturam *igni invictum Ignipotens* probavit et explanavit, quae in Veronensibus schedis extat, unde nascitur suspicio, etiam plura, quae peculiaria huius codicis sint, ad Hateriani auctoritatem redire.

De distinctione quaesivit ad Aen. IX 397 ('fraude loci, et noctis subito turbante tumultu' an 'fraude loci et noctis, subito t. t.' v. schol. Veron.), quae Servius contraxit. Hunc enim usum esse illius commentario etiam aliis locis demonstratur: nam et Aen. II 558 'sine nomine corpus' eodem ut ille modo ut nomen pro facie dictum statueret*) explicavit et ad eiusdem libri v. 632 adnotationem doctissimam indidem compilatam esse prorsus verisimile fit Calvi exemplo, quod ne apud Servium quidem deest**).

*) Cf. schol. Veron. ad Aen. VII 337 cum Servio. Nonii quoque de *nomine* titulus p. 354, 15 ex aliquo commentario Vergiliano desumptus videtur: nam eadem quae illic exempla Aen. VII 337 II 558 adferuntur.

**) Macrobius Sat. III 8, 2 'nonnullorum quae scientissime prolata sunt male enuntiando corrumpimus dignitatem, ut quidam legunt (Aen.

Ac probabile, Macrobium quoque plura ex Hateriani commentario excerpsisse.

Prorsus incertum est quae de Aen. IX 360 difficillimo loco eius fuerit sententia, cuius ne nomen quidem satis clare in codice Veronensi Keilio apparuit. Illa autem quae Mai arbitrium ei tribuit ad Aen. X 566 adnotata Aspro potius reddenda putavi p. 132. Contra latet fortasse Hateriani nomen in scholii Veron. ad Aen. VII 489 p. 98, 12 K. litteris his *a(ccr)anam iam* (v. Buechelerus in Fleckeiseni ann. 1866 p. 71).

§ 15.

Saeculo quarto medio Sancti Hieronymi praeceptor *Aelius Donatus*, insignis Romae grammaticus (cf. H. Keilii praef. ad gramm. Lat. IIII p. XL) idem qui artem grammaticam scripsit*), tam in Vergilii poemata (georgica certe et Aeneida, nam de bucolicis traditum non est) quam in Terentii comoedias commentarios scripsit, ex quibus haud pauca excerpsit Servius. Functus autem est et emendando et distinguendo et explicando et quaestionibus solvendis omnibus fere interpretis officiis, tamen ut quae restant vituperatione multo saepius quam laude digna videantur.

Nam antiqua, qualis Vergilii aetate floruerat, lingua et arte desuetus nec Probi optimorumque grammaticorum disciplina satis imbutus ubi ipse sapere ausus est, longius fere quaesita, saepe adeo absurda vel ne turpis ignorantiae quidem crimine libera protulit. Ac statim allegoricum interpretem produnt quae de Vergilianorum operum ordine atque indole excogitavit, secutum scilicet esse in scribendis carminibus Vergilium ordinem naturalem: 'primo enim pastoralem fuisse in montibus vitam, post agriculturae amorem, inde bellorum curam successisse' (Servius prooem. ecl. p. 97 L.).

II 632): *discedo ac ducente dea flammam inter et hostes expedior*, cum ille doctissime dixerit *ducente deo*, non *dea*. nam et apud Calvum Aterianus adfirmat legendum *pollentemque deum Venerem*, non *deam*' e. q. s. Cf. Servius ad h. l. Donati ad enn. V 2, 36 adnotatio Vergilii et Sallustii exemplum commune habet.

*) Cf. Sergii explanat. in artem Donati prooem. (gramm. Lat. vol. IIII p. 486 ed. H. Keil.) 'hic enim Donatus V. C. D.' (V. CL. vel V. P. coni. Keilius) 'Vergilianum carmen vel' (et?) 'Terentii comoedias mirifice commentavit'.

Parum feliciter criticam artem exercuit eis certe locis, de quibus traditum est. Perverse enim antiquam scripturam in *Vbc* servatam 'lenta quibus torno *facilis* super addita vitis' tuitus est ad ecl. III 38*); Lucani (I 675) exemplo male usus est, ut pravam formam *Edonii* choriambicam, quam grammaticis nescio quam ob causam placuisse etiam aliis aliorum poetarum locis corruptelae codicum docent, fortasse et ipse aliquo libro manuscripto confisus, in Vergilii textum inferret**). Prudentius fecit quod Probum secutus de Aen. VI 177 'requirendum adhuc esse' dixit. Eidem et Aspro de difficillimo loco Aen. VII 543 adsentatus est, quem lacunosum esse non magis quam ceteri intellexit. Ne suspicatus quidem est, leviter corruptum esse Aen. II 546, cui explicando frustra operam dedit (Serv. ad h. l. et ad ge. I 403).

Nec mirum quod solvendae quaestionum 'vel maximae' ut Asper sentiebat, quae est de Aen. IX 363, inparem se praestitit.

Frustra ut ceteri desudavit in expediendo Aen. XII 514 sqq. loco, cui Peerlkampus demum transpositis duobus versibus 516. 515 salutem tulit. Sed quod aut patronymicum aut gentile nomen Rutuli *Onytes* esse sibi persuasit, prodidit se nec Graecorum nec Latinorum nominum accuratiorem notitiam sibi comparavisse. Dixit inter nostrates de triplici forma *Ὀνύτης Ὀνείτης Ὀνίτης* Lobeckius in pathologiae serm. Graeci prolegg. 387 sq.

Velium Longum secutus retinuit Aen. X 245 *spectabis* (ut

*) Servius ecl. III 38 'lenta quibus torno facili super addita vitis] *torno facilis:* Donatus sic legit. legitur tamen et *torno facili*, ad excludenda duo epitheta, quod est in latinitate vitiosum, si sit lenta facilis vitis'. Servius Aen. II 392 'non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. fecit hoc tamen Virg. in paucis versibus, qui tamen emendati sunt ut ecl. III 38, cum ante *facilis* fuerit'.

**) Servius Aen. XII 365 '*Edoni* Thracii . . . . sane sciendum, hoc loco errasse Donatum, qui dicit *Edonii* legendum, ut *do* brevis sit secundum Lucanum, qui dicit (I 675) «Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo». namque certum est systolen fecisse Lucanum. unde *Edoni* legendum est, ut sit hic Edonus, huius Edoni. Statius et Virgilium et artem secutus ait: tristius Edonas hiemes — non Edonias'. EDONEA *M* (II) udonii γ: ergo diascenasta Medicei exemplari ad Donati textum scripto usus est; in Palatini et Gudiani archetypo ascripta videtur fuisse Donati lectio. Ceterum praeter Bentleium in adn. crit. laudatum cf. L. Mueller de re m. 352.

MP), quod ad Ter. hec. III 1, 6 'absoluta' ait 'locutione' cum eo quod praecedit 'crastina lux' coniunctum esse.

Sed dolendum quod eius ad Ter. hec. III 4, 3 adnotatio nimis contracta nunc extat, quae si integra esset, vix dubito quin quod ge. IIII 412 optimorum codicum indicia secutus edidi *tam tu* esset confirmatura. Nam cum Terentianum hoc 'tantum quam' ἀνακόλουθον dicat flagitetque 'quantum', Vergiliano quod addit exemplo non hunc vulgi usum, sed licentiam illam illustrare voluisse, ergo '*quanto* . . *tam tu*', non '*tanto*' vel '*tantum*' apud nostrum poetam legisse videtur, idemque Philargyrium etiam reperisse Bernensibus scholiis intellegitur.

Vere praeter alios etiam de Aen. II 90 scriptura *pellacis* testatus est ad Ter. Phorm. I 2, 17.

Prosodiae ignarum quater praeterea Servius arguit: ad II 798 quod mira temeritate 'collectam *ex Ilio*', non '*exilio pubem*' legendum praecepit; ad eiusdem libri v. 557 quod *litus* a litando dictum putavit; ad III 535 quod idem *latet* interpretatus est 'late patet' (Serv. ad h. l. et ad III 636: cf. Agroetius 2271 P.); denique ad VIII 642 quod *citas* quadrigas intellegi voluit divisas vel separatas (cf. Nonius 265, 24). Quibus sane exemplis vel maxime apparet, quantum a Probi doctrina illius aevi vel clarissimi doctores abhorruerint. Quid quod *Parrhasium* Euandrum a parra dictum esse voluit (Serv. Aen. XI 31)? Et Graece parum doctum fuisse inde apparet, quod *Lenaeus* Bacchi cognomen a *leniendo* derivavit ad ge. II 4.

Ceterum *distinxit* textum poetae ita, ut non vocabula tantum singula et orationis structuram notaret, sed etiam subtiliores, quos quidem indagavisse sibi visus esset, sententiarum colores indicaret: quamquam in his quoque argutatus est. Huc spectant Servii ad ecl. II 17 ge. II 324 IIII 346 adnotationes et quae de notis hyphen, diastole, apostropho eodem auctore sive Grillio sive Censorino sive adeo Remmio Palaemone (cf. Priscian. 560. 978. 993 P.), quo Diomedes p. 435 K. usus est, eisdemque verbis praecepit in arte gramm. p. 372 K., ubi quod in his *ereptae virginis ira* (Aen. II 413) diastole post *ereptae* posita male cohaerentia discerni iussit, intellegimus quosdam *erepta e virginis ira* legisse. Facillimam autem dictionem 'mediis effusus in undis' Aen. VI 339 ne admitteret, mire contortum verborum ordinem 'dum servat sidera in undis mediis' excogitavit.

Digitized by Google

Communi sensu nisi destitutus fuisset, non ad simplicissimam sententiam ge. II 412 'laudato ingentia rura, exiguum colito' adnotavisset laudanda videri latifundia, 'quod etiam non culta praestant aliquid domino', nec dubitavisset, cuius a partibus *Arruns* stetisset (Servius ad Aen. XI 762 et 592), nec ad Aen XII 529 sq. Turni atavos et avos intellegi iussisset, ne v. 638 narraret sorori Turnus quae poeta neglegentia quadam tacuerat. Nec filum narrationis tenuit qui raptas 'ab armigero' hastas Turnum IX 763 torquere finxerit, immemor solum et sociis destitutum regem in portas irrupisse (cf. 729. 758. 783. 815 sqq.). Perverse idem Aen. IX 675 *commissam* Pandaro et Bitiae portam intellexit, quod falsum esse ipsa verba docent: non enim dixit poeta *tibi* vel *ipsis commissam*, sed iuxta positis 'portam, quae . . . *commissa, recludunt*' cavit ut redirent legenti in memoriam quae v. 40 sqq. de conclusis Aeneae imperio intra portas Troianis narrata sunt. Quod recte olim animadverterat Cornutus, cui et Donatus et recentiores quidam commentatores parere debebant. Nisi forte noluit ille verum videre, ut haberet vituperandi poetae materiam, ut qui custodes portarum Bitian et Pandarum factos supra commeinorare neglexisset. Nam obtrectatorem vel iniquum vel stultum etiam aliis locis agnoscimus, ubi non minus recte a Servio refutatur. Calumnia enim est quod ad X 331 ante dictorum oblitum esse Vergilium adnotavit, et absurde vituperavit ad XI 318, quod praesente Turno Rutulorum ager a Latino donaretur Aeneae, quem tamen ne ipse quidem in Rutulorum finibus, sed Clarano, nobili sane Martialis tempore grammatico*), pravo indicio adsentatus in Campania iuxta Ufentem fluvium fuisse statuerat ad v. 616.

Item obtrectatorum maledictis (Macrob. I 24, 7) stulte inhaerens ne adulteri scilicet filio Venus arma peteret Aen. VIII 373 sqq., ante matrimonium cum Volcano initum Anchisae amore usam Aenean genuisse ridicula subtilitate finxit. Quod ut caret

*) 'Quod etiam *Clanarius* ait' Servius Parisinus 7929. *Claranus* coni. Osannus in symb. litt. II 329, ut sit idem qui in Horatianis scholiis ad serm. II 3, 82 de Anticyra oppido testatus esse fertur, quemque inter doctissimos commentatores Martialis X 21, 2 et Ausonius epist. XVIII 26 numerant, ille quidem cum Modesto conferens, hic adeo ante Scaurum Asprum Varronem Cratetem commemorans.

auctoritate, ita suo invento, quod minime poetae Aen. III 215 verbis probatur, e Styge natas docuit Harpyias, quo cur v. 242 invulnerabiles dicantur explicaret. Eadem recondita venandi libidine adductus turpissimum Sallustii in Ciceronem et Tulliam convicium (Cassius Dio XLVI 18 Sallustii declam. in Cic. 2 cf. Drumannus VI p. 416 adn. 63) in VI 623 versum satis illum tragicis fabulis illustratum intulit: quamquam *vetitos* hymenaeos Servio melius et verecundo poeta dignius 'natura et legibus vetitos' explicavit. Ac vereor ut felicior fuerit cum ad Aen. VI 230 docuit, poetam, ne principem scilicet lauro natalicia eius arbore ad triste funeris munus adhibita offenderet, felicis *olivae* potius ramo lustrari viros fecisse.

Non soli difficultates movit Aurora quae Aen. VI 535, quasi λευκόπτερος Ἁμέρα (Eurip. Troad. 848) sit, roseis quadrigis iam medium aetherio cursu traiecisse axem dicitur: et haec quidem vidit spectare ad medium diem peractum, quod vel Sibyllae v. 539 verbis 'nox ruit' probatur, ut Solis patris quadrigam non mane tantum, sed totum per diem praecurrendo comitari putanda sit. Haec certe ratio sanior quam qua apud Macrobium Sat. I 3, 11 Caecina Albinus Vergilium defendere conatus est.

Absurde quidem, sed tamen aliqua eruditionis umbra perductus ipso libri VII initio poetae verba pervertit. Nam quod haec 'tu quoque littoribus *nostris*, Aeneia nutrix, aeternam moriens famam, Caieta, dedisti' ita interpretatus est, ut *nostra* non Italica litora, sed 'in comparationem Oceani navigabilia' dici statueret, videtur de etymo illo nominis Caietae cogitasse, cuius Strabo V p. 233 memoriam fecit in his '*καὶ τὸν μεταξὺ δὲ κόλπον ἐκεῖνοι Καιάταν ὠνόμασαν· τὰ γὰρ κοῖλα πάντα καιέτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν· ἔνιοι δ' ἐπώνυμον τῆς Αἰνείου τροφοῦ τὸν κόλπον φασίν.*' Ergo quia *sinus* omnes Lacones *καιέτας* appellabant, Vergilium quoque 'litoribus *nostris*' scripsisse sibi persuasit, ut sinuosis et hospitalibus maris litoribus Caietam nomen dedisse doctis scilicet innueret.

Item docta quadam de Boreae venti ortu notitia (cf. Strabo I 22 p. 61 sq.) stultissime abusus est, ut Aen. XII 366 altum *Aegaeum* montem esse contenderet, qualem non novi nisi in Creta insula (Hesiod. theog. 484). Sed geographicis studiis captus aliis quoque Aeneidis locis vim intulit. Nam de Gangis

fluvii alveis ut cum Seneca Vergilio conveniret Aen. IX 31 immani hyperbato Nilum praecedere Gangen coegit, hoc ordine verborum: 'ceu surgens septem amnibus Nilus aut Ganges' (cf. quae supra de VI 339 narravimus). Apud Varronem cum legisset in Lucania circa fluvium, qui Calor vocatur, aditum ad inferos monstrari, hunc potissimum locum nescio qua de causa Vergilium quoque VII 563 describere contendit, quamvis abhorreant a tali opinione verba 'est locus Italiae *medio*' nec montes omnino illic sint, sub quibus tamen hunc locum fuisse poeta dicit.

Helenor a matre serva *vetitis* ad Troiam armis missus dicitur IX 547: Donatus cum servos quoque interdum militavisse legisset et eorum fortasse exemplorum, quae Macrobius Sat. I 11, 30 sqq. congessit, meminisset, non lege militari, sed fato vetita arma interpretando a poetae mente longe abhorruit.

Argutatus est etiam in singulis vocabulis explicandis, ut usu fere sermonis Latini caruisse videatur: quo si instructus fuisset, nec poterat *inpressum* balteo Pallantis nefas Danaidum (Aen. X 497) perverso sensu 'coactum' nec in ge. II 514, ubi aratro agricola patriam parvosque penates sustinere dicitur, *patriam* interpretari villam, quasi non suo quisque labore universae civitatis famem levaret.

Simplicem sensum aspernatus est etiam in Aen. XII 585 interpretando, ubi distrahi rumoribus malignis Latinum statuit, quem *trahi* inter trepidantium discordia et timore civium tumultum *in moenia* narraverat poeta*). Eodem spectat, quod VIII 333 in verbis '*pelagi*que extrema sequentem' maluit interpretari 'in pelago' vel 'per pelagus' extrema sequentem quam cum vulgo coniungere 'extrema pelagi'; et quod X 463 in Pallantis cum Turno dimicaturi precibus 'victoremque *ferant* morientia lumina Turni' *meminerint* intellexit, non *sustineant*. Merito denique vituperatur a Servio, quod *lunas sequentes ordine* ge. I 424 noctes statuit esse diem sequentes, cum lunae vices et varias formas intellegi voluerit poeta.

---

*) Ex alio commentario sumpta sunt Servii haec ad Aen. II 480 '*vellit* non deiecit . . . sed movet . . . (vel certe vellere vult ut XII 585. nam quare facit fenestram?)'. In hoc enim 'trahunt' explicatum fuit 'trahere volunt'.

Pauca tamen quaedam de sermone Vergilii recte et ni fallor antiquo auctore quodam observavit. Quod enim ausus est poeta XI 124 Aenean fama ingentem, *ingentiorem* armis dicere, sententiae quidem figuram, ut Furius Albinus apud Macrobium Sat. VI 2, 33 statuit, Ciceronianam imitatus, comparativo autem usus, cuius nec ante nec post eum novi exemplum, id iam Verrii Flacci animum advertisse videtur, ex cuius libro quae Paulus Diaconus p. 114 M. excerpsit '*ingens* dicitur augendi consuetudine, ut inclamare invocare. quia enim gens populi est magnitudo, ingentem per compositionem dicimus, quod significat valde magnum'. Ergo non sane nihili est quod negavit Donatus comparationem hoc nomen recipere.

Item 'commento Aeneidos' Donati Priscianus p. 1004 usus doctam ad Aen. III 686 ('ni teneant cursus') excerpsit adnotationem: '*ni* pro *ne*. sic veteres'. Pleniorem servavit quamquam non nominato auctore Servius, quem illo ex commentario hausisse quam maxime probabile fit comparatis Donati ad Terentii eun. II 3, 36 et III 3, 2 titulis. Quod tamen ad idem commentum M. Hertzius rettulit sententiam Donati de Aen. VI 62 a Prisciano p. 1157 prolatam minus certum videtur, cum 'antiquiores Donato artium scriptores' eodem loco laudet grammaticus, unde Donati quoque artem, non commentarium respici coniecerim.

Male tamen Terentianam nominativi pluralis formam *his* ad Vergilii ecl. III 102 transtulit, ubi *neque amor causa est* parenthesin esse voluit (ad Ter. eun. II 2, 38). Nec magis probandum quod Aen. II 548 *illi* pro adverbio loci interpretatus est ad Ter. adelph. I 2, 36 hec. I 2, 19 Phorm. I 2, 41.

Alia verbo tangenda: ἓν διὰ δυοῖν animadvertit 'costas et cratis' XII 507; recte ge. IIII 153 *pro qua mercede* verba relativa, non per interrogationem vel exclamationem accepit; *intiba* ge. I 120 quid essent docuit, de quibus convenit ei cum Acrone qui dicitur Horatii commentatore ad carm. I 31, 16; ge. I 198 *vim humanam* violentiam vel laborem humanum interpretatus est, quo caveatur ne in deterius ruat natura. Recte ad Ter. Phorm. II 2, 31 explicavit *praesentius* ge. II 127.

Ceterum multo plura etiam quae bonae frugis essent in Vergilianis quoque Aelii Donati commentariis fuisse facile credet qui meminerit, quam docte et subtiliter idem Terentii comoedias

Digitized by Google

illustraverit. Exemplari sanctioris vetustatis usum non vidimus; nec laudata obiter in commentario Terentiano verba Vergilii ex integerrimo fonte hausta esse consensus cum deterioribus nostrorum codicum scripturis exempla haec evincunt:

cum *γc* ge. II 472 *parvoque* pro *exiguoque*
- *χ* Aen. III 61 *linquere* pro *linqui*
- - - IIII 534 *heu quid agam* pro *en quid ago* (cf. *m*)
- - - VI 351 *omnia* pro *aspera*
- - - - 664 *alios* pro *aliquos* (cf. *F*)
- *Mγ2* Aen. XII 47 *incipit* pro *institit*

Alia in quibus solus genuinum textum deseruit vel memoria lapsus vel pravis coniecturis obtemperans (nisi forte librarii hic illic Donati magis quam ipse culpandi sunt) infra composui haec:

ad Andr. V 4, 8 *circumdata filo* pro *diversa colore* ecl. VIII 73
- - I 1, 101 *imposuit* pro *inponit* Aen. VI 233
- Andr. IIII 3, 3 *avulsum* pro *abreptum* Aen. IIII 600
- eun. V 3, 4 *properabat* pro *celebrabat* vel *celerabat* Aen. IIII 641
- adelph. I 1, 54 *hanc . . vocem* pro *haec . . dicta* Aen. VII 292
- hec. IIII 4, 15 *verberet* pro *volneret* Aen. VIII 583

Dubitare possis utrum coniectura an neglegentia ad adelph. III 3, 7 traditum sit *Aeaciden* pro *Alciden* Aen. VI 392. In arte grammatica quae ad exempla maximam partem Vergiliana praecipiuntur, ex antiquioribus libris grammaticis et rhetoricis compilata sunt.

Prorsus vero ab Aelio diversus *Tiberius Claudius Donatus*, qui saeculo quarto extremo senex ad Tib. Claudium Maximum Donatianum filium suum Aeneida cursim, ut ipse dicit, et relinquens plurima interpretatus est, olim, si vita suppetiisset, uberiora de personis oppidis insulis regionibus montibus fluminibus herbis lignis fanis reliquis similibus ex commentariis veterum additurus. (Cf. epist. dedicatoria et v. d. Hoeven epist. ad Suringarum de Donati comm. in Virg. Aeneida data Leovardiae a. 1846, Graefenhanius IIII 315 sqq., M. Hertzius ad Prisciani vol. II p. 61.) Corrupto hunc codice usum esse vel ad Aen. XII 412 adnotatio docet, ubi cum ipse legerit '*ipsa manu* genetrix *Dictaea* carpit ab Ida' 'nonnulli' inquit 'sic reponunt hunc locum, ut asserant

Vergilium dixisse *Dictamnum* g. *Cretaea* c. ab Ida' (ut et Servius testatur et nostri libri omnes habent): 'quod usque adeo non est, ut si sequentia coniungas fiat vitium'. Satis de coniecturae istius indole atque origine disputavit Waguerus. Cetera, si quam ad textum constituendum frugem adferre videbuntur, aliis reliqui excutienda.

§ 16.

Carminium, cuius aetas certioribus terminis quam inter Probum et Servium saeculis definiri nequit, ut inter commentatores Vergilianos ponam maxime facit ad Aen. VI 862 adnotatio. Nam licet sciamus, eundem cum *de elocutionibus* disputavit praecepisse *utrasque palmas* a Vergilio Aen. V 233 vitiose dictum esse (Servius l. l.*) cf. idem ad I 93) et in libro *de Italia* secundo cultrorum aeneorum usum antiquissimum memoratis fortasse falcibus quoque aënis Vergilii Aen. IIII 513 docte exposuisse (Macrobius Sat. V 19, 13); porro licet nec etymon vocis *amoena* (quasi amunia) necessario ad Aen. V 734 vel VI 638 protulisse (Servius Aen. VI 638 cf. idem ad V 734) nec Probi emendationem ('placidumque petivit coniugis *infusum* gremio per membra soporem' Aen. VIII 406) in commentario potissimum Aeneidos probavisse (Servius ad l. l.) statuendus sit: tamen unam illam de Marcello adnotatiunculam ad Aen. VI 862 'egregium forma iuvenem et fulgentibus armis] tria sunt secundum Carminium: pulchritudo aetas virtus' aegre mihi persuadeo alio consilio nisi ipsius textus illustrandi causa propositam esse a Carminio.

§ 17.

Singulari commentandi arte et ratione usus est *Rufus Festus Avienus,* 'gemino proconsulis auctus honore', cuius aetatem intra

---

*) Siquidem *Carminius* est: nam *Carpinius* scribitur teste G. Thilone in Cassellano et Florentino bibl. Sctae Crucis plut. XXII n. 1 qui saeculi X est, *Carpius* in Basiliensi, *Caspius* in Guelferbytano.

Digitized by Google

quarti saeculi terminos ita inclusit Wernsdorfius poett. Latt. min. V 2 p. 640, ut a Valentiniano usque ad Iuliani imperatoris tempora extenderet. Hic igitur quod praeter Livii historias iambis scripsisse fertur Vergilii fabulas (Servius Aen. X 272. 388), non tam exornatas ab ipso poeta fabulas mutatis numeris et verbis recoxisse quam, ut in Arati quoque Phaenomenis interpretandis fecit (cf. Buhlii vol. II 481), obiter ab illo significatas adhibitis antiquioribus auctoribus, Graecis maxime, suis versibus enarravisse videtur. Quod probatur Servii ad Aen. X 388 testimonio: de Anchemolo enim thalamos auso incestare novercae fabulam uno verbo a Vergilio tactam enarravit auctore usus Cornelio Alexandro Polyhistore Milesio, grammatico Crateteo, qui cum Sullae aetate Romae servus primum, deinde libertus tot historias tradiderit, ut ipse Historiae cognomine vocaretur (cf. Suetonius de ill. gr. 20 Graefenhanius I 420 II 160 Wegener de aula Attalica 194 sqq.), atque adeo de Roma quinque libros composuerit, mirum non est, ex eius copiis Vergilium hausisse. Nec dubito quin in scholiis nostris alia quoque sive ex Alexandro sive ex Avieno excerpta lateant. Maxime vero Hyginus, qui 'studiose et audiit et imitatus est' (Sueton. de ill. gr. 20) Milesium grammaticum, in commentando Vergilio magistri thesauros compilavisse putandus erit.

Certo quidem testimonio alter tantum ex Avieni commentario locus apud Servium adfertur, qui mirum in modum comprobat indicium nostrum. Nam cum imaginis causa, ut flammam ex Aeneae vertice et clipeo coruscantem describeret, cometarum mentionem iniecisset Vergilius, Avienus, qui etiam in Phaenomenis Arateis v. 594 sqq. brevius de illis exposuit, plenissime totam cometarum naturam edocuit (Servius Aen. X 272 et ge. I 488).

Magni etiam, si extaret, ad verba poetae emendanda pretii esset *Arriani* Graeca georgicon metaphrasis (Suidas s. v. cf. Meinekius anal. Alex. 370 sq.), quae quo tempore facta sit nescimus. *Polybius* Senecae amicus quae Vergilii carmina pluribus quam scripta erant nota esse voluerit, utrum versibus an prosa oratione Graece verterit numque absolverit opus, ex Senecae dial. XI 8 significatione levissima non perspicitur. (Cf. Graefenhanius III 312 sq.)

§ 18.

Nec prorsus ab his *μεταφραστῶν* studiis alienae *declamationes* rhetorum fuerunt, qui *themata controversiarum* ex Vergilio 'elicuerunt et adformaverunt ad dicendi usum' (Servius Aen. X 18). Nam veneratos esse Romanos Vergilium tamquam vel Cicerone praestantiorem eloquentiae magistrum, soli Homero aequiparabilem, satis docet ex Macrobii Saturnalibus liber IIII (cf. I 24, 14. V init. item dialogus de orat. 20). Exemplo est quod ad Aen. X 532 Servius colorem rhetoricum commemorat quo Aeneae responsum tractatum est: 'improbus es qui aut regi dones aut filios exheredes'. Praeclarum vero controversiis componendis locum Veneris et Iunonis libri Aen. X initio altercatio dedit, quem exornaverunt *Titianus*, 'fandi artifex', qui Ausonii aetate Aesopicas fabulas pedestri stilo vertit (Auson. epist. 16, 74 sqq. et praef. epist. cf. Vossius de hist. Latinis II 1), et *Calvus*, ut in Reginensi 1674, sive *Catulinus* rectius in Parisino 7929 Servii ad Aen. X 18 scribitur, aequalis illius, ni fallor. Sanctus Augustinus quoque puer saeculo quarto medio in Numidia solutis verbis dicere in schola cogebatur quae versibus Vergilius exornaverat, velut irascentis in primo Aeneidis libro (37 sqq.) Iunonis verba (confess. I 17).

Versibus composita *themata Vergiliana* extant in anthologia Latina Burmanni lib. I num. 108 'in Aeneam patrios penates ex Troiae incendio cum patre auferentem', 110 de Laocoonte, 114 sq. de Pallante, 116 de Turno et Pallante, 118 de Euryalo, 119 de Niso et Euryalo, 173 Didonis ad Aeneam epistola (secundum Aen. IIII 304 sqq. 365 sqq.), denique orationes 174 Didonis ad Aen. IIII 365 sqq. exemplum, 175 Sancis secundum Aen. XII 653 sqq., 176 Aeneae secundum Aen. III 315.

Ceterum hanc scholasticorum industriam etiam ad ipsa Vergilii carmina interpolanda multum contulisse proclivis suspicio est. Quam autem iam a saeculis inde secundo et tertio usque ad sextum frequens fuerit elegantiorum etiam hominum studium carminibus Vergilianis non minus quam Homericis ad varia lusuum genera abutendi, primum demonstrat *Osidii Getae* a Tertulliano de praescriptionibus adv. haereticos c. 39 praeter alia laudata *tragoedia centonaria Medea* (anthol. Lat. I 178 B. = 235 M.),

Digitized by Google

tum *Ausonii cento nuptialis*, concinnatus ille iussu imperatoris Valentiniani, qui ipse 'nuptias quondam eiusmodi ludo descripserat', porro *Luxorii* Vandali viri saec. VI spectabilis *epithalamium* (anthol. Lat. VI 84 B. = 382 M.), ut de ceteris centonibus incertorum auctorum (anthol. Burm. I 14. 45. 146 sq. 168. 170 —172 III 81) taceam.

Quos omnes qui accurate collatis libris manuscriptis ad Vergilianum textum adhibebit, fortasse operae admodum fastidiosae pretium aliquantillum faciet. Me quidem qui satis vitae et roboris labori huic Vergiliano inpendisse mihi videor, hanc quoque aerumnam exanclare nimis pigebat.

§ 19.

Iam eorum commentariorum, qui aetatem tulerunt, virtutes et vitia excutere nostrae operae non est, qui id maxime quaerimus, quid ad restituendum poetae textum auxilii ex antiquorum auctorum reliquiis redundet. Inter quos multo frequentissimus testis est *Servius* vel quae nomine eius circumferuntur variis modis contaminata contracta amplificata interpolata scholia*). Lectiones enim vel singulae vel variae saepissime in his commemorantur, tamen raro ita ut *librorum* fiat expressis verbis memoria. Semel ad Aen. III 40 'vetus codex' *auditus* pro *auditur*, 'antiqui codices' ad VII 568 *horrendus* pro *horrendum* et *piracula* pro *spiracula*, 'multa exemplaria' ad XI 142 *at* (an *ec*?) *portis*, non *ad portas* habere feruntur. Nec quid ipse invenerit in libris, sed quid inventum esse dicatur tradi solet: 'in omnibus bonis *regis* dicitur inventum' pro *regi* (Aen. IX 369); 'quidam in novis (bonis?) et emendatis libris pro *detinet demeret* inventum asserunt' (IIII 348); 'hi versus circumducti inventi dicuntur et extra paginam in mundo' (III 204); 'hic versus variasse dicitur' (III 157); 'hic versus in plerisque dicitur non fuisse' (II 775). Certiora testimonia sunt: 'hic versus in multis non invenitur' (III 153), 'sed sane hic versus qui circumductus est talis auditur' (226). Sed haec omnia nec per se probabilia excepta versus II 775 athetesi nec nostrorum librorum memoria ulla confirmantur;

*) Cf. G. Thilo mus. Rhen. XIIII 534 sqq. XV 117 sqq. Th. Mommsenus ibid. XVI 442 sqq.

ac vereor ne partem eorum velut de circumductis post III 204 tribus versibus fabellam critici nescio cuius vel interpolatoris industria effinxerit.

Nec ubi 'vera lectio' commendatur, authentici exemplaris fidem, sed grammatici iudicium sequi iubemur, quod potest sane rectum esse: e. g. *turbatur* ecl. I 12, quod Quintiliani et Consentii auctoritate firmatur, *amaror* ge. II 247 ab ipso Hygino in optimo libro inventum, *et quisquis color* 256, sententiae et metri necessitate efflagitatum; sed coniecturas habeo *varias* ge. I 383 et *expersa* Aen. III 625, item fictus analogiae causa nominativus *fronds* ge. II 372. Distinctione verborum ineptissima Aen. I 643 difficultatem quae nulla est removere studuit.

Certorum qui in his scholiis laudantur auctorum memoria omnis supra collecta est: aliquanto saepius notantur 'multi' (e. g. ecl. II 20 'legunt', V 64 'distinguunt', Aen. X 150 'dicunt oportuisse dici'), vel 'plerique' (inperitissimi fere, ut Aen. III 336 corruperunt), vel 'nonnulli' (e. g. ecl. VII 51), vel 'quidam' (ecl. III 108 'male quidam totum iungunt', Aen. VIII 627 'quibusdam videtur hunc versum omitti potuisse', II 787 'hunc versum quidam ita supplevit', VIII 40 'mire quidam conclusit hunc versum', cf. ge. I 20 et Aen. I 636), vel 'alii' (ut ecl. IIII 61), vel denique formulae 'legitur et' (e. g. ecl. III 38), 'legimus tamen et' (ge. I 166) usurpantur.

Universam quidem scholiorum farraginem perlustranti apparet non tam quid poeta vel ediderit vel reliquerit, sed quomodo grammatici textum eius temptaverint testari. Qui et distinguendo et emendando et interpolando multimodis variatus vulnera curarum criticarum etiamnunc in nostris exemplaribus ostentat plurima. Quamquam sunt aliquot veterum coniecturae, quarum soli commentario Serviano notitiam debemus: ad Aen. I 100. 115. 258. 289. 734 II 59. 65. 75. 247. 321. 455 III 40. 75. 108. 372. 635 IIII 204. 545. 551. 599 VI 84 VIII 261 IX 173 X 481 XI 142. 152. 169. 258. 422. 524. 644. 818 XII 290. 815. 859.

Ceterae quae in his scholiis proferuntur variae lectiones ita per codices nostros omnes dispersae sunt, horum ut nullus Servii si qua fuit vel alius grammatici recensionem solius dici possit amplexus esse, nec omnino qualis ab illo traditur textus ullo corruptelae genere caruisse statuendus est; quamquam solet quod ipse

Digitized by Google

testatur genuinum esse. Longum est omnia perlustrare: pauca sufficiat exempla delibavisse, ubi deteriora secutus est.

Legit Servius

cum *FM2γ2ac* et Agroetio *altis* pro *arcis* ge. IIII 125
- *MRγ2bc maniplis,* non *maniplos* Aen. XI 463
- *MP2γbc* et Prisciano *causas,* non *casus* Aen. II 105
- *Mγ2b virtutem — factis,* non *virtute — vires* Aen. VI 406
- *M2PRγbc concretam,* non *concretum* ge. II 318
- *PRγbc oleae* pro *olea* ge. II 302
- *P1Rγ2bc* (cf. *M*) *ruebat* pro *rubebat* Aen. X 256
- *P1c1 insignis,* non *insigni* Aen. I 625
- *Rγbc* et Seneca *caeli* pro *caelo* ge. I 337
- *Rbm* et schol. Lucani *duces* pro *omnes* Aen. XI 93
- *Rc2 terram* pro *herbam* ge. I 155
- *γb2c* (cf. *M*) *admorso* pro *ad morsum* ge. II 379
- *bχ* Nonio Agroetio Prisciani exempl. *aut,* non *et* Aen. XII 727
- *cχ agni pingues* inverso hiatus causa ordine ge. I 341
- *Mentel.2, χ pacis,* non *paci* Aen. VI 852
- *χ tarda* pro *parva* Aen. XI 430.

Solus corruptum praebet textum velut Aen. III 421 *vasto* pro *vastos.* Quaedam ambiguum certe utrum vere an falsa sint, ut ecl. VII 24 *Veneris* pro *corylos,* Aen. VII 34 *aequora* pro *aethera.*

Multo autem magis fide carent eae lectiones, quae non suo loco nec certo testimonio proferuntur, sed ubi exempli causa laudantur verba poetae: vaga enim et incerta commentatoris memoria, qua similes maxime loci inter se confunduntur, niti solent. Quo ex genere haec sunt:

Aen. II 478 *muro et flammam ad fastigia,* non *tecto et flammas ad culmina*
- IIII 460 *gemitus,* non *voces*
- - 482 *fulgentibus* pro *ardentibus*
- - 522 *placidam carpebant membra quietem,* non *placidum c. fessa soporem*
- VI 424 *corripit* pro *occupat*
- VIII 190 *hanc primum suspice rupem* pro his: *iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem.*

Sed cum ex similibus locis variae lectiones solitae sint a commentatoribus singulis verbis ascribi, haec quoque praeter Servium et apud alios auctores et in nostris codicibus modo his modo illis reperiuntur, velut quod

in *bm* et apud Arusianum legitur *labori* pro *dolori* Aen. II 776

et quae infra multis locis commemorabo.

§ 20.

Iuvabit ex *Probi* etiam qui dicitur bucolicon et georgicon commentario pauca exempla expromere, quibus intellegatur lemmata et firmandi causa ex alio loco adsumpta poetae verba nisi in eis de quibus expressus sermo est certa fide carere (cf. p. 165). Velut in *lemmate* ge. I 103 *iactet* et *mirentur* coniunctivi, quorum cum hic elegans sit et prope necessarius, illum ad huius similitudinem eadem temeritate accommodatum sentio, qua in libris nostris propter *iactat* antecedens factum est *mirantur*. Sententia enim, quam recte interpretatur Servius, haec est: ne Mysia quidem quamvis diligentissimo cultu tantum proficit quantum iuvat caeli gratia, quae si contingat, vel feracissima terra messis ubertatem miretur.

Memoriter ge. II 385 in lemmate *orsa* pro *missa* videtur scriptum esse, item ecl. IX 14 in prooemio p. 6, 6 K. '*componere* lites' pro '*incidere*', nec probandum quod ad ecl. VI 31 p. 11, 15 K. ex Aen. VI 202 '*liquidum super aethera*' pro '*liquidumque per aëra*' exhibetur, aut quod etiam in Leidensi uno reperitur *effusa* pro *infusa* ex eodem libro v. 726 (p. 13, 23 K.). Soli librarii fortasse inscitiae debetur *inmissa* pro *innexa* ex Aen. VIII 277 prolatum ad ge. II 66 (p. 46, 19 K.), nam saepissime *ss* litteris *x* commutata est: certe illud ineptum, quasi vi iniecta capiti corona diceretur. Aliquanto magis placet Aen. II 691 *augurium*, quod pro *auxilium* codicum scriptura p. 14, 11 in docta illa ad ecl. VI 31 quaestione legitur. Quis enim neget potuisse etiam in eis quae obiter tractantur antiquae memoriae vestigia latere?

§ 21.

Magna in variis *georgicon* scripturis recensendis *Iunii Philargyrii**) auctoritas, qui cum saepius quam alios, velut Asprum et Modestum, laudet Celsum, ex huius potissimum commentariis hausisse videtur, ubi de ipsius poetae manu (ge. IIII 141), quid ipse emendaverit (ge. II 225 cf. IIII 231) quidve reliquerit (II 332) quaeve prior lectio fuerit (II 344) testatur. Ad Verrii Flacci rationem revocanda et *uedera* scriptura ecl. III 39 et *ambo* accusativus ge. IIII 88, de quo supra dixi. Ergo cetera, quae etiam in nostris libris apparent, ipso Philargyrii testimonio evincuntur antiquae coniecturae esse, varias dico lectiones ad ge. II 382 ('quidam legunt *ingeniis*': *R*, quod non debebam spernere), III 3 ('legitur et *carmine*, ut puto, rectius': *PV?*), 133 ('*tusis*, sine *n* legendum': *R*), 305 ('legitur et *haec*': *FMR*), 310 ('legitur et *ubera*': *PR*), IIII 112 ('legitur et *tinos*': *P*), 208 '*et*, alibi *at*' (*et R*), 370 (*saxosum*: cf. Servius et *bc*), 373 ('legitur et *influit*: *c*), 443 ('legitur et *pellacia*': cf. *M*). Ipse non probavit lectiones *pingues paleae* ge. I 192 et *pernox* III 230, ex quibus illam solus servavit, hanc et scholiasta Iuvenalis praebet et *b* m. priore habuisse videtur. Accedunt pauca quae vel ad orthographiam spectant (ecl. III 8 *hirquis*: Oblongus Pierii, cf. *P* et Servius; ge. III 177 *mulgaria*: cf. Nonius) vel ad distinctionem verborum (ge. II 71. 312 III 165. 187). Unum locum aut non intellego aut lacunosum esse puto, qui est ad ge. III 498: 'quidam volunt ideo dictum *studiorum atque immemor herbae*, quod antiqui in pratis certamina exhibere consueverant. reliqua grammatici legunt'. Nam haec ultima quid sibi velle dicam nescio.

Ceterum cum soleant fide dignissima esse quae ipse ut vera testatur velut *fervit* ge. IIII 169, quod solus servavit *Ft*, tamen ipse interdum deterioribus credidit scripturis, velut consentiens

cum *MRγbc* et Servio ge. IIII 229 *(thesauris)*,

*) Hanc enim veram nominis formam vindicaverunt nuper G. Thilo mus. Rhen. XV 135 et Iulius Caesar ad Aristid. Quintil. p. 14.

cum *M1γ1* ge. IIII 230 *(fave)*,
- *Mγb* et Servio ge. IIII 400 *(frangentur)*.

Item ex interpolato libro sumpsit si II 167 *gentem* legit. Aeneidis vero laudans VII 289 memoriter protulit *Italiam longe prospexit* pro *Dardaniam Siculo p.* Quod autem Aen. IIII 169 probat quod in *P* m.1 extat *laborum*, cum ceteri *malorum* habeant, non ausim decernere utrum verius sit.

§ 22.

Non diversum a Iunio Filargirio esse *Iunilium Flagrium* qui in *scholiis Bernensibus* appellatur et olim a Philippo Wagnero (comm. de Iunio Philargyro partt. II) intellectum et nuper a G. Thilone (mus. Rhen. XV 127) comprobatum est. Qui cautius quam ille non post sextum saeculum, fortasse vero aliquanto prius scriptum esse statuit genuinum Mediolanensis grammatici commentarium, qui nec Servio ipse usus nec ab hoc exscriptus est. Excerptus autem in Britannia est ab homine Scoto, Adanano ut videtur, saeculo fere VIII. Idem alios commentarios duos excerpsit adpositis singulis notationibus auctorum nominibus, quorum alterum, *Gaudentium*, scholia Serviana breviora, qualia ante Danielem nota erant, alterum, *T. Gallum* nomine, pleniora compilavisse statuunt homines docti (cf. Mommsenus mus. Rhen. XVI 447 sq.).

Uno praeterea loco in scholiis Bernensibus laudatur *Isidorus* ad ecl. IX 29 allegoricae interpretationis auctor. Idemque nomen C. G. Muellerus coniecit latere in compendiis *Isiō* (ad ecl. III 111 ge. I 50. 88) et *Eus* (ad ecl. X argum.). Explicantur autem singulae voces: '*claudite*, i. e. cantare desinite' e. q. s. (ecl. III 111), '*aequor* pro campo. hic metaphora' (ge. I 50); '*exudat*, exsiccatur. hic hypallage, dum non humor exudat, sed terra' (ge. I 88). Quae cum partim eisdem fere verbis in Servianis quoque scholiis legantur (cf. Serv. ecl. III 111 ge. I 88), vel ex Servio Isidorus hausit vel ex Isidori nescio quo commentario quaedam in Servianam farraginem translata sunt.

Eus autem ille qui in ecl. X argumento tradidisse fertur 'C. Asinius Gallus orator, Asinii Pollionis filius, de quo Virgilius meminit', *Hieronymus* est, cuius eandem notationem vide

apud Reifferscheidium in reliquiis Suetonianis p. 86. Ex Hieronymo enim quamquam non fatetur alia quoque Bernensis scholiasta ad verbum compilavit, velut ad ecl. III 90 'M. Bavius poeta quem Virgilius in bucolicis notat, in Cappadocia moritur' (cf. Hieron. Ol. 186, 2 Sueton. rel. p. 41 R.) et ad ecl. V argum. 'Aemilius Macer, Veronensis, in Asia moritur' (cf. Hieron. Ol. 191, 1 Sueton. rel. 43 R.). Quamquam *Suetonii* quoque libris usus est '*Iunilius*'. Nam licet quae ad ge. II 158 adnotantur 'Adriaticum superum vocatur, Tyrrhenum inferum, ut Iunilius et Tranquillus dicunt', ex Isidori potius de nat. rer. XLIII hausta esse videri possint quam ex Suetonii pratis (v. Sueton. fr. 157 p. 242 R.), tamen ad ge. IIII 14 ipsa Tranquilli ex decimo pratorum verba exscripta sunt (v. Sueton. fr. 164 p. 257). Cf. praeterea schol. Bern. ad ge. IIII 127 (item Servius et Probus: Sueton. fr. 209 p. 355 R.) et ad 564 (Sueton. fr. 203 p. 350 R.).

Variae ad *bucolica* et *georgica* scripturae ex *Bernensibus scholiis* etiam enotandae sunt haece, quas commentario critico suo tempore inserere non potui, quia Caroli Guilielmi Muelleri programmata quattuor Rudolphipolitana annorum 1847. 1852. 1853. 1854 tunc temporis frustra quaesiveram. At nunc liberalitate Hermanni Hagen, qui novam horum commentorum editionem molitur, contigit ut iterum accuratissime cum codice collata paulo etiam emendatiora possem quae ad nostram rem faciunt proponere. Sunt autem haec:

ecl. I 54 *rorem*
- - 68 *t u g u r i*, i pro ii.
- - 72 *en quis* (ut cψ: cf. γab)
- II 20 'alii sic distinguunt: *pecoris. nivei*, quia antiqui laneam albam admodum diligebant'. (*pecoris nivei* cod., recte distinxit H. Hagen: cf. Servius. Commentator in suo codice coniuncta legit *pecoris nivei*.)
- V 3 '*c o n s e d i m u s* pro *considimus*' (*consedimus* bis codex, *considimus* pro *consedimus* Muellerus, *consedimus* scholiastam legisse Hagenus ex argumento eclogae, ubi in eodem versiculo *consedimus* laudatur, evicit. *considimus* γ2)
- - 28 *feri*

ecl. VI 18 'ambo pro *ambos*, hos ambo . . . Iunilius dicit'. (*ambos clm.* cf. Servius et Philargyrius ad ge. IIII 88)

ge. I 13 *equum* (cf. Servius)

- - 102 *Moesia* (ut *P2c*, schol. Leid.)
- - 192 *paleae* (cf. Philargyrius)
- - 218 *adverso* (ut *M:* cf. Servius)
- - 277 '*Orcus* . . . quidam cum aspiratione *orcum* legunt' (*Horcus P:* cf. Servius)
- - 315 *lactentia* (ut *MR*, Servius)
- - 332 *Athon* (ut libri et Servius)
- - 479 '*manes* id est *amnes*, non dii' (*amnes* libri)
- II 45 'alii sic distinguunt: *in manibus terrae non*' ('in manib; | terre. ñ in manib; enim terram habeam ñ proelio | lio' cod., in quibus quid lateat nescio)
- - 65 '*durae*, alibi *edurae* leguntur' (cf. Servius)
- - 69 '*horrida* . . . nam male quidam *horrens* legunt' (eadem Servius)
- - 81 *exiit* (ut *M*)
- - 316 '*gelidam*, alii *rigidam*' (sic libri)
- - 352 'alii *munimen*', in mg. *munine*, i. e. *munimine* (*munimen* libri)
- - 382 *ingeniis* (ut *R:* cf. Philargyrius)
- - 413 '*rusti*, *rusci* magis legendum' (ut *γ2b2*, cf. *M1*, *rusti M2PR*)
- - 425 '*nutritor* (*nutritur* cod.), 'cum *nutri* dicere debuit, pro activi imperativo passivum posuit' (eadem ut Servius). '*nutritur* pro *nutrit*, i. e. humor vel pastor.' (sic *MP*, Prisc.)
- - 453 '*arboris antro*, vitiose putridae' (*ilicis alvo* libri et Servius)
- - 464 '*inclusas*' (erasa *c*), 'inlaesas': cf. adn. crit.
- - 494 in mg. *driadasque puellas.*
- III 77 '*minantis*, minaces' (in textu georgicon *minacis* ut *R*, corr. m.2 *minaces* ut *Mγbc*, in mg. manu eadem *minantis* ut *P* et Seneca)
- - 85 *premens* in textu, *fremens* (ut *M*) m. eadem in mg.
- - 88 *pulsu*
- - 194 '*tum vocet*' (ut *FMR*), '*provocet*' (sic *P*)

ge. III 230 '*pernix*, perseverans': cf. Servius
- - 241 '*subvectat*' (ut *MR*), 'sublevat'
- - 263 '*super*, alii *supra*' (sic *P*)
- - 279 '*sidere*' (ut *R*), 'frigore' (sic ceteri)
- - 309 '*quam magis*, quo magis' (sic *R*)
- - 345 '*Cressam*' (ut libri et Probus), 'Creticam, alii *crassam*' (sic *c1*)
- - 403 '*parvo*, alii *parco*' (sic libri et Servius)
- - 449 *vivaque sulphura* (ut Servius et Macrobius)
- - 452 '*malorum est*, vel' (*ut* cod.) 'alii *laborum*' (sic libri) 'pro *malorum*'.
- - 475 *Iapygis* (ut *M1PR*: cf. Servius)
- IIII 41 *lentius* (ut libri, Servius cum ceteris gramm.)
- - 114 '*tenaces* . . . alii *feraces*' (sic libri)
- - 141 '*illic* vel *illi*, id est Corycio' (*illic P*, *illi* ceteri cum Servio)
- - 174 '*tollunt*' (ut libri), 'alii *iactant*'
- - 188 '*limina*' (ut libri), 'alii *litora*'
- - 221 *omnes* (*oīs* cod., ut Servius: cf. adn. crit.)
- - 228 *augustam* (ut libri et Servius)
- - 230 '*ore fove*' (*faue* cod.) 'ipsos haustus, vel *ore fave*, id est cum silentio accede' e. q. s. (cf. Servius et adn. crit.)
- - 233 '*rettulit*, oritur, alii *reppulit*' (sic libri)
- - 234 '*fugiens*' (ut libri), 'alii *surgens*'
- - 242 '*ignotus*' (ut libri) . . . 'alii *ignotos*, id est oculis'
- - 254 '*vultum*' (ut libri), 'alii *vultu*, id est pro corpore, hoc est habitudine'
- - 301 '*obsuitur*' (ut *M*), 'circumcluditur, truditur. alii *obstruitur* (ut *PR*), i. e. spargitur'
- - 315 '*extudit*' (ut libri), 'extulit, studiose reperit. alii *extundit*' (cf. *c* et Servius)
- - 345 'quidam distinguunt *Vulcani curam inanem*'
- - 360 '*at* vel *ad*' (*ad Gγ*)
- - 412 '*tantū*' (ut *M1Pγ1*) 'alii dicunt' ('dicun' cod.) '*tantū*' (ut *b1*), 'alii *tanto magis*' (ut *M2Rγ2b2c2*). 'Iunilius dicit. *quanto* legitur et' (ut?) '*tanto*' (cf. Servius)

ge. IIII 443 '*pellacia*' (ut *M? b2*: cf. Philargyrius), 'astutia' (in textu: *pellacia* with superscript *t r*)

- - 447 'alii *quicquam*' (ut *MR*) 'legunt' (eadem Servius)

- - 473 '*in foliis*' (ut libri), 'alii legunt *in fluviis*'

- - 540 '*intactas*' (ut *RV?*), 'indomitas'

- - 548 '*capessit*' (ut *M*) . . . 'alii legunt *facessit*' (ut *FRV?*)

- - 565 '*auxi*, alii legunt *audax*' (sic libri).

§ 23.

Veronensia scholia quanti ad criticam Vergilianorum carminum historiam, ad commentatorum praecipue antiquorum indolem cognoscendam momenti sint, satis ex eis quae supra collegimus elucet. Sed quantavis auctoritas eorum sit, ubi certis auctoribus scripturae proferuntur, tamen ubi ad firmanda praecepta vel opiniones exempla laudantur, de singulis vocabulis, quae non ad ipsam rem pertinent, caute iudicandum erit. Velut Aen. IX 403 cum Asper probavisse videatur, ut supra dixi, *suspiciens altam lunam et* distinctione hic demum posita, firmavit hanc particulae copulativae collocationem versibus duobus Aen. II 369 et VI 254, in quibus necessarium quidem est, ut scriptum est in scholio, *pavorque* et *superque* legisse grammaticum, sed *infundens* posteriore loco, ut interpolatum est in Mediceo et suppletis scholii lacunis positum ab H. Keilio, utrum Asper an qui commentarium eius excerpsit an denique librarius intulerit nescimus.

Nec auget Medicei auctoritatem quod ad Aen. I 1 in his commentis ex Aen. VII 444 exhibetur *gerant*, ut in illo solo praeterea extat, cum genuinam ceterorum scripturam *gerent* Homeri exemplum tueatur.

Item ge. I 38 quamvis in Aspri ad Aen. IX 363 adnotatione sic laudetur 'quamvis Elisios miretur Graecia *salt(us)*', tamen testatur ille tantum de *Graecia* schemate usurpata, *saltus* pro eo quod codices tenent *campos* vel ipse memoria falsus vel qui verba eius descripsit neglegentia interpolasse videbitur. Nam prorsus ut libuit supplevit scholiasta nescio quis ad Aen. I 1 sententiam cum canendi verbum pro vaticinando usurpari probaret Aen. II

124 his '(et mihi iam) multi crudele canebant *exitium*', sed scripserat Vergilius 'canebant artificis scelus'.

Ergo nullius fidei quod ad Aen. II 311 (p. 88, 3 K.) ex eodem libro versus 193 talis adfertur '(ul)tro Asiam *magnam* Pelopea ad moenia bello venturam', cum nostri codices omnes praestent *magno*. Firmare enim commentator id tantum voluit, *Asiam* pro incolis Asiae dici, cuius elocutionis magnificentia debilitatur addito magnitudinis quae per se nota est epitheto. Sed haec sufficiant.

Excussit autem nuperrime haec scholia post A. Maium et H. Keilium denuo Arnoldus Herrmannus, cuius ex opera diligentissima Fr. Buechelerus excerpta in Fleckeiseni annalibus novissimis (1866 p. 65 sqq.) cum doctis communicavit. Unde elegi quae ad criticam Vergilianorum carminum quam contexïmus historiam vel ad corrigendum supplendumve commentarium criticum nostrum alicuius momenti esse videbantur: lacinias ipsas scholiorum resarcire meum non fuit.

Ad ecl. VI 14—19 laudatus Aen. X 835
- - VII 24 laudatus Aen. VII 14 sic: 'arguto *tenuem* percurrens pectine *telam*'
- - - 33 *Corneli* nomen legi non potest.
- ge. III 7 *umeroque Pelops* (non *umerique*)
- Aen. I 5 laudata VI 271 'ubi cae(lum condidit umbra)'
- - - 8 - II 396 'numin(e) no(stro)'
- - II 89 - V 621 'cui gen[us et quondam nomen] natique fuisse[nt]'
- - - 160 laudata VIII 643 'at tu dictis Alba[ne maneres]'
- - - 170 - I 482
- - - 657 in lemmate *mene*, non *men*

Inter II 665 et 678 marginalis scholii reliquiae 'melius legitur — — sed plerique — — (m)etu ponunt' e. q. s. ad variam nescio quam lectionem spectant.

ad Aen. III 691 in *Aspri* scholio: *poetice* pro *patice*
- - IIII 146 in *Aspri* scholio: *Protesilaodamia fac papyrin*
- - - 178 in *Cornuti* scholio: . . . . . . *(quid)* . . . . *(e)posset*
- - VIII 105 *n quod*, non $\bar{N}$

ad Aen. VIII 94 laudatus Aen. IX 605
- - IX 386 in *Aspri* scholio *ignarus*, non *ignorans*
- - - 402 in *Aspri* scholio: 'adnotandum . . . . (nex) . u . . ns . . . eam ue (dui) qi. quae in metro . . proum . . . . untes'
[p. 105 in marginali scholio, quod ad Aen. XI 244 spectare conicit Buechelerus, fortasse de lectione nescio qua verba facta erant]
ad Aen. XII 709 in margine: '*cernere* — decernere'.

Caput X.

Veterum de carminibus Vergilianis praeter commentatores testium qualis fides sit quaeritur.

Libris manuscriptis Vergilianis qualibus usi fuerint commentatores atque editores antiqui collectis quae extant testimoniis supra indicavi. Neque credo ut Heynius vol. I praef. CXXXII Caligulae furorem, qui 'Vergilii ac Titi Livii scripta et imagines paulum afuit quin ex omnibus bibliothecis amoveret' (Sueton. Calig. 34), in causa fuisse, cur minus emendati codices poetae ad nostram aetatem pervenerint. Nam *paulum afuisse* quin amoveret, non amovisse fertur princeps. Nec fugerunt Heynium ipsum de libris idiographis testimonia. Nam et *Plinius* in nat. hist. XIII 12, 26 'manus' eiusdem 'saepenumero' ait 'videmus', et *Quintilianus* I 7, 20 manum Vergilii, qua *caussae* et *cassus* geminata *s* scriptum sit, antestatur. Ergo quod ille in 'dubii sermonis' libro VI apud Charisium testatus est *Achati* Aen. I 120 et *Oronti* 220 Vergilium scripsisse fide dignissimum docetque interpolatos esse codices nostros *MRbc*, in quibus *Achatae*, et *R1m*, ubi *Orontis* legitur.

Quintilianum tamen cave credas, ubicumque verba Vergilii inseruit, manum poetae religiose reddere. Verae sane scripturae *turbatur* ecl. I 12 testis est antiquissimus, pro qua libri fere omnes *turbamur* receperunt, quamquam vel quinto saeculo *Consentius* de inpersonali *turbatur* praecepit. Legit idem quod non minus in exemplaribus oblitteratum est *addunt in spatia* ge. I 513. Sed tamquam non minus certam et indubitatam laudat 'figuram' hanc '*qui* non risere *parenti*' e. q. s. ecl. IIII 62, cum nos in codicibus eadem legamus quae Servius interpretatur '*cui* non risere *parentes*': illud qui scripsit non videtur QVI dativi formam intellexisse. Coniecturae, quae in *Pγabcm* redit, *fagi* pro *fagos* in laudando ecl. IX 9 credidit; et cum deterioribus etiam, Bigotiano et Gothano tertio, posuit Aen. XI 406 *iactat* pro *fingit*.

Praeterea vel memoriter prolata vel ex interpolato codice hausta haec:

agrestem pro *silvestrem* ecl. I 2
sedet pro *stupet* Aen. II 307
praecipiam pro *praedicam* Aen. III 436
caelo pro *pelago* Aen. V 212
caedis pro *stragis* Aen. XI 384.

Nec qui ante Quintilianum obiter usi sunt carminibus poetae nostri, fidissimi testes habendi.

Columella ubi ex georgicis verba suis praeceptis inmiscet quam neglegens genuinae memoriae sit satis demonstrant quae ad IIII 89 sqq. adnotavi. Cf. praeterea I 195. 197 IIII 70. Mutato ut libuit ordine accommodavit orationi frustula poetae qualia fere in mente haerebant, non descripsit accurate bono ex codice. Accedit quod ne textus quidem Columellae ea qua opus est diligentia adhuc pertractatus est.

Senecam rhetorem Aen. XI 288 *ad adversae* pro nostris *apud durae* legisse videri ex codicis corruptela coniecit Bursianus. Quod si ille in exemplari suo repperit, certe interpolato usus est.

Inter illa, quae philosophus *Seneca* praestat, probabile visum est *illis* ge. I 251 *(illic* codd.*)*. Nec paenitet eo auctore in textum recepisse *qua* Aen. VI 96, quod a vera ratione aberraverunt qui nuper (in Fleckeiseni ann. 1863 p. 69. 1865 p. 304 mus. Rhen. XIX 633) coniectura factum statuerunt ex eo quod post comparativum ponere proclive erat *quam* (vel QVĀ), ut et nostri

Digitized by Google

libri habent et Servius frustra interpretari studet. Hanc enim sententiam tum demum non inepte expressam concederem si legeremus: 'sed contra audentior ito quam tua te Fortuna *iubet*'. Quamquam sic quoque mali ominis est vaticinium. Immo iuvat Fortuna audentes (X 284), illa autem formula sollemnis Vergilio: cf. II 387 V 23 X 49 XI 147 XII 677.

Confirmat praeterea Seneca Palatini scripturam *minantis* ge. III 77, qua audacia equi fluvios transnantis melius extollitur quam illo *minacis*. Quamquam idem memoriter fortasse huuc locum laudans in sequenti versu vulgare *ponto* cum *Mlyb2c* dedit pro elegantissimo et genuino *ponti* genetivo. Simile quod Aen. II 61 in orationem suam inserens 'fidens *animo*' posuit (ut *R*) pro genetivo *animi* exquisitiore. Deteriora item secutus est ge. I 337 *caeli* cum *Rybc*, Servio et Arusiano legens pro *caelo*. Consulto autem suis verbis accommodavit Aen. VIII 442, ubi *opus est* pro *omni* interpolavit.

Neque haec probanda, in quibus vel memoria vel codex interpolatione depravatus fefellit:

ge.	I	139	*laqueo*	pro	*laqueis*
-	-	140	*latos*	-	*magnos*
-	-	424	*stellas*	-	*lunas*
-	II	45	*longo*	-	*ficto* (quod consulto videtur mutasse)
Aen.	III	417	*ingenti*	pro	*medio*
			ingens	-	*undis*
-	-	419	*aequore*	-	*litore*
-	VI	256	*celsa*	-	*coepta.*

Vidit *Gellius* etiam pretiosissimum poetae codicem, cui Fidus Optatus, 'multi nominis Romae grammaticus' ostendit, 'librum Aeneidos secundum mirandae vetustatis, emptum in Sigillariis viginti aureis, quem ipsius Vergilii fuisse credebatur' (II 3, 5). In quo quam repperit suprascriptam voci *aëna* (v. 470) aspirandi notam, in nostros codices non magis transiit quam quod alio loco (ge. I 296) 'in optimis libris' scriptum se invenisse testatur *aheni*. Item deest aspiratio in nostris exemplaribus omnibus fere ubique: Aen. I 213. 295 IIII 513 V 102 VI 218. 228 VII 463. 633 VIII 22 IX 165; uno solo loco Aen. I 449 Medicei corrector minio *H* supraposuit.

Ergo aut Vergilius ipse varie scripsit aut grammatici alicuius praecepto alterutra forma in codices inlata est. Probabilius autem aspiratam ut antiquiorem (extat enim in SCto de Bacanalibus, et Servius maiores dicit nomini *ahena* aspirationem dedisse) prae ea, quae Vergilii aetate fortasse usu iam vulgata erat, a Probo fortasse, quem de aspiratione tractavisse Catholica docent, commendatam fuisse.

Praeterea duplicem scripturam commemorat Gellius Aen. I 703 *longam* vel *longo*. Quod v. 636 *dii* a Vergilio scriptum adfirmat, non 'quod inperitiores legunt' *dei (MRγbc)*, Probi videtur iudicium et verba fortasse reddere ut aliis locis, de quibus supra monui. Sed praeter expressa testimonia quae laudat dubiae fidei sunt: e. g. interpolatum *in* ge. I 203 cum *Mγbc* (cf. *R*) et Nonio tradit, memoriter in 'notissimis' versibus 395 sq. *tunc astris* pro *tum stellis* posuit, nam *videri* pro *videtur* nescio an in libro aliquo invenerit, conformatum ad infinitivos sequentes, quos ex hoc ipso *videtur* pendere non animadvertit corrector.

Omnino studium, quo a grammatistarum et rhetorum grege et in puerorum scholis carmina Vergiliana inde a primo saeculo pertractabantur, nocuit magnopere textus integritati, qui cum initio partim (in Aeneide certe) neglegentius ipsius poetae manu scriptus esset, ut ipsa litterarum ambiguitate coniectandi libidinem invitaret, mox non coniecturis modo, sed interpretamentis et additamentis omnis generis magna parte in tironum usum vere oppletus est. Accessit ignorantia et stupor magistellorum, qui mentem poetae artemque iam assequi non possent, tum librariorum incredibilis oscitantia, quae multitudine tantum exemplarium, cum manus, ut aiunt, manum lavaret, poetae nostro minus quam aliis antiquitatis scriptoribus fatalis evasit. Nam veterum auctorum de singulis versibus testimonia, quamvis ad fastidium usque tanto numero dispersa sint, ut, etiamsi continui carminum Vergilianorum libri plane interiissent, ex illis solis pleraque eorum pars contexi posset, tamen ipsis poetae verbis summa cum fide constituendis minime tantum quantum expectaveris auxilii adferunt. Ex quibus qui meliorem quam nos habemus codicem diligenter et prudenter adhibuerit praeter illos, quorum supra mentionem feci, novi neminem. Immo quod de illorum neglegentia dixi multo etiam magis de reliquis valet, quibus ne tum quidem, cum expressis verbis testantur quid scripserit poeta, temere obtempe-

randum est, nedum in ceteris, quae addunt, fides habenda. Solebant enim notissima carmina fere, ut memoria tenebantur, laudari. Grammatici vero, quibus nos utimur, cum pleraque compilaverint ex variis antiquiorum commentariis, quibus tamen ex suis copiis quaedam adderent (nec quisquam tam indoctus sibi videbatur, quin ex Vergilio exemplum adferre iuvaret), ne de auctore quidem testimoniorum semper constat. Denique id quoque accidit, ut in ipsis horum auctorum exemplaribus Vergiliana potissimum verba vel a librario litterato nonnumquam vel a correctore, qui suum poetae exemplar conferret, mutarentur. Sed haec ut exemplis illustremus, age aliquot auctores, eos saltem, quorum maxime frequentia sunt testimonia, perlustremus. Exhaurire omnia immensi taedii esset.

Ac primum inesse in *Probi* quae dicuntur *Catholicis* et in *institutis artium* nec non in libellis *de differentiis* et *de nomine* ex Berytii grammatici commentariis uberrimis excerpta docuit H. Keilius in praefatione quarti grammaticorum Latinorum voluminis. Sed quoniam noviciis artigraphorum et puerilibus praeceptis multifariam contaminata et corrupta sunt, Vergilianorum quae in his libris adferuntur verborum fides longe minima ex parte ad Probi auctoritatem redit, sed ex scholasticorum tertii vel quarti p. Chr. saeculi memoria diiudicanda est. Probo quae lectiones Vergilianae vindicari possint in his aliorumque grammaticorum scriptis, supra quamvis breviter significavi.

Sat memorabilia memoriae antiquae vestigia in libro qui falso olim inter Probianos ferebatur *de ultimis syllabis* reperiuntur. Cuius auctor et novit duplicem scripturam et genuinam vindicat his p. 226, 33 'o littera genetivus terminatus Graecus est eamque produci necesse est, ut *in foribus letum Androgeo* (Aen. VI 20). est enim proprie Graecus genenitivus, licet aliqui sic legunt *in foribus letum Androgei*, Graecae declinationis ignari: *et portusque subimus Chaonio* (III 292) pro Chaonii patris portus, quamvis legatur *portusque subimus Chaonios*. est ergo genetivus *Chaonio*'. Quae ultima licet perversa sint, tamen docent grammaticum in exemplari aliquo eadem reperisse quae habet Mediceus: PORTUS et CHAONIO^{S}.

Illam autem genetivi *Androgeo* analogiam secutus fuit qui II 425 commendaret *Peneleo* pro *Penelei*, quod in nostris libris om-

nibus est: nam duplicem scripturam tradidit Vindobonensis de nomine et pron. grammaticus p. 135 E.

Sed qui de ultimis syllabis scripsit testatur solus ecl. III 12 *Daphnidos* scriptum esse eodem quidem loco (p. 228, 23 K.) quo *Panos* genetivum Aen. VIII 344 consensu librorum et grammaticorum veterum confirmatum commemorat, ut non temerarius habendus sit qui illud quoque vel posthabitis codicibus nostris omnibus in textum inferat.

In *P* et recentioribus quibusdam libris redit, quod p. 237, 5 K. ex Aen. IX 11 adfertur *manus,* non *manum,* sed illud quomodo ortum sit ipse monstrat Palatinus, in quo cum manu priore MANVSOLLECTOS extiterit, fuerat in huius archetypo paulo fortasse neglegentius sic exaratum MANV̄COLLECTOS. Commendavit Servius non sine specie quod p. 233, 25 K. *veniunt* (Aen. VII 98) laudatur pro eo quod in nostris optimis est *venient;* sed potest hoc a commentatore aliquo factum esse.

Vel memoriae lapsu vel ex interpolato codice orta sunt haec:

in *Probi* qui dicitur *de nomine* commento

p. 213, 23 K. *tremuit* pro *gemuit* Aen. VI 413

- 210, 22 - *aevo* pro *orbe* Aen. VI 745

in libro *de ultimis syllabis*

p. 255, 23 *responsa* pro *praecepta* ge. IIII 398 coll. Philargyrio

- 254, 29 *conversum a lumine* pro *incendia vana* Aen. VIII 259 (cf. 246 sq.)

- 262, 30 *altis* pro *summis* Aen. X 766

- 235, 21 *sive meum* pro his *et me seu* Aen. XII 935.

Charisius quam totus fere pendeat ex Iulii Romani, Palaemonis, Cominiani commentariis satis ab H. Keilio et Schottmuellero (de C. Plinii Secundi libris grammaticis) monstratum est, eisdem autem magna ex parte fontibus usum esse *Diomedem* docuit idem Keilius. Itaque a III viris illis multa quae de Vergilii textu memoriae tradiderunt, immo etiam altiore ex origine repetenda, quamquam hic maxime tenendum est quaedam intermiscuisse ipsos compilatores, quibus tritissimi poetae carmina in memoria fuisse consentaneum.

Ac de Plinii libris grammaticis, quos Iulius Romanus excerpsit, et de Probi commentariis a Diomede adhibitis supra monitum.

Ad *Iulium Romanum*, qui initio tertii p. Chr. saeculi vixit, redire videtur quod Aen. I 703 '*longam* penum' scriptum esse adfirmat, cum *longo* et nostri libri omnes exhibeant et fuisse qui praeferrent Gellius narret. Idem potest testis esse auctore fortasse Plinio genetivorum *Achilli* et *Ulixi*. Praeterea, nisi quid ipse Charisius intermiscuit, tuetur Latinam accusativi formam *Parim* (ut Irim et Tigrim) Aen. X 705, cui Graecam nostri codices substituunt. Sed si ipse legit Aen. II 90 quod apud Charisium est *fallacis* (ut *Pytalb2m*) pro *pellacis*, interpolato usus est codice. Et turpiter delusus est pessima scriptura *tertio* pro *tertia* Aen. III 37, qua nostrorum librorum nullus inquinatus est.

Palaemon, non Remmius ille, sed Gallus quarti p. Chr. saeculi rhetor et grammaticus (cf. Schottmueller 26 sqq.), vereor ne interpolato codici crediderit quod Aen. IX 764 *tergus* a Vergilio scriptum esse adseverat (cf. Schottmueller l. l. 21). Eiusdem neglegentia est quod ex Aen. VII 453 *iuvenum* pro *regum* excerpsit.

Cominianus quoque malum interpolamentum *in carcere* Aen. V 147 pro genuina memoria habuit, quae sine dubio est *in verbera*. (Cf. v. 145.)

Commendat *Diomedes* Aen. IX 109 quod in nullo codice extat *sacras*, sed ita ut appareat eum coniectura mutari velle quod traditum sit *sacris*, quod tamen opus minime fuit. Etiam IX 144 secutus est scripturam *an non* a nostris exemplaribus, quae *at non* habent, alienam, sed tamen Servio quoque notam et probatam.

Conspirant Charisius et Diomedes in deteriore lectione *magna* pro *magnae* Aen. XII 168 cum γ (cf. Servius).

Diomedis textus redit in χ Aen. VII 171 *media* pro *summa*.

Diversam a nostris codicibus memoriam apud Charisium hoc loco habes:

Aen. VI 760 *iuvenem* male pro *iuvenis*.

Cum simili loco contaminata apud eundem

Aen. IX 358 *pictos* pro *pulchros*,

apud Diomedem

Aen. X 149 *decusque* pro *genusque*.

Ex interpretatione orta apud Charisium;

Aen. II 108 *voluere* pro *cupiere:* cf. Servius

- X 875 *sanctus* et *magnus* pro *altus*.

Memoriter laudata apud utrumque

Aen. XII 161 pro *interea*] *continuo*, item Donati p. 397 K.
- - 166 - *hinc*] *tum*,

apud Charisium solum:

Aen. VI 351 pro *traxi mecum*] *traxit omnia*,

apud Diomedem solum:

Aen. VII 811 pro *celeris nec*] *cursu non*
- IX 657 - *mortalis medio aspectus*] *m. visus*
- XII 373 - *dextra*] *cursu*
- - 787 - *ab radice*] *de stirpe*.

Tertio saeculo legit Vergilium *Terentianus Maurus*, Diomede antiquior. Cuius si fides habenda Mediolanensi exemplari expresso ex codice Bobiensi, ge. I 449 ut postea Nonius *quam* tradidit pro eó quod in libris nostris est *tam;* et poterat illud quoque exclamando poeta ponere, sed verius hoc puto. Eidem, si ge. II 181 *gaudet* legit, non *gaudent*, convenit cum *Mac.* Certum est ipsum scripsisse Aen. VI 179 cum diphthongo *eitur*, quo auctore usus sit infra videbimus. Aen. IX 503 consulto mutavit, ut commodo exemplo praecepta illustraret.

Quarto saeculo *Iulius Rufinianus* figurarum exempla collegit, cui adiungimus imitatorem quem illius nomen mentitum esse Ruhnkenius vidit. Huius autem libelli exemplari unico, Basiliensi scilicet editioni, debemus bonam formam *ni* Aen. VI 353 pro vulgari *ne*. Eidem parendum videtur, qui Aen. VIII 236 '*in* amnem' testatur, quamvis in libris nostris omnibus praepositione *ad* oblitteratum, eius ipsius figurae, quam rhetor ille animadvertit, notandae causa suprascripta, ut suspicor. Recte notavit genuinam lectionem Aen. XI 230 *petendum*, quae tamen praeter *M2* et Servium etiam in *bc* aliisque recentioribus libris servata est, quamquam corrupta grammatistae interpolatione *petendam* in *M1PRγ*. Sed quod ecl. VI 30 *mirantur* figurato sermone pro singulari numero positum narrat, facile potest deceptus esse grammaticorum studio, qui ubicumque plura cum uno verbo subiecta coniunguntur pluralem intulerunt, qui etiam hoc loco in *Ra1m* invenitur (cf. Wagneri quaestt. Verg. VIII 3).

Cetera, quae vel verus vel personatus Rufinianus in exemplis diversa a nostro textu tradunt, partim neglegenter ab ipsis adscripta partim a librariis corrupta sunt. Illo ex genere est quod

Digitized by Google

verus ex Aen. III 600 *caelum* pro *caeli* protulit. Plura personatus commisit:

ge. II 161 *quid* pro *an*
- III 383 *pectora* pro *corpora*
Aen. III 603 *Argolicos* pro *Iliacos*
- VI 835 *pius* pro *meus*
- X 74 *succendere* pro *circumdare*
- - 76 omissus, quia nihil ad figuram illustrandam faceret.

Librariis tribuerim quod apud verum legitur
Aen. III 490 *tenebat* pro *ferebat*
- V 190 *hortor vos* pro *Hectorei,*

apud personatum
ecl. VI 15 *infractum* pro *inflatum*
Aen. III 545 *velabar* pro *velamur*
- X 330 *consiliunt* pro *coniciunt*
- XI 416 *oculos felix functus* pro *alios fortunatus,*
ubi immixto *felix* glossemate et compendiis male intellectis verba corrupta sunt. Eadem interpolatione, quae in Palatini manum priorem irrepsit, Aen. III 545 *capite* factum ex *capita,* quod ipsum rhetor se legisse testatur.

Unum *Arusianus Messus* verius tradidit, quod aliunde notum non esset, scilicet ge. I 54 *illi* adverbium in nostris codicibus vulgari forma oblitteratum. Paucis praeterea locis, ubi duplicem exemplaria nostra lectionem praebent, integriorem suo testimonio bene confirmavit: nam dativum *silici* cum *MRγ* ex Aen. I 174 excerpsit, non genetivum *silicis*; et Aen. XII 865 '*ob* ora' legit ut Servius utque in *Rb* extat et in Medicei archetypo fuisse videtur. Sed nollem praeoptavissem quod testatur Aen. XII 92 *columna,* ut habent *γb1c,* prae antiquiorum librorum *MR* scriptura *columnae.* Recte praeterea apud eum ut in *Pb2 arcis* legitur ge. IIII 125. Dubito nunc num recte Aen. VII 416 quod textus eius praebet *cultus* praetulerim librorum scripturae simplici et bonae *vultus.*

Sed idem correctori credidit testans Aen. II 380 *humo* scriptum esse, quod sollemni fere licentia in codicibus ex *humi* forma tironibus minus facili mutari solet. Absurdum ac puerile quod Aen. VII 623 'ardet *in excitam Ausoniam*' extare narrat, cum-

Digitized by Google

que unice verum et necessarium sit *inexcita Ausonia* omnibus libris comprobatum, hoc exemplo monemur ne quid iudicio eius in eligendis scripturis securi tribuamus. Nam etiam X 359 inprudenter verum habuit *obnixi* quod legi pro *obnixa* sane Servius quoque adnotavit. Tum glossema vel coniecturam commemoratam item a Servio *quoad* XII 147 pro genuino venditavit, at Vergilius *qua* reliquerat; et quod ex similibus locis IX 350 X 788 a commentatore adpositum erat *instat* XII 748 poetae esse sibi persuasit, qui *urget* scripserat. Nec debebat interpolatam etiam in *Rbc*, apud Priscianum et scholiastam Lucani *a* praepositionem ge. I 360 agnoscere.

His accedunt alia quamvis expresso grammatici testimonio non probata, sed tamen in exscribendis exemplis propagata.

Ac memoria falsus ex Aen. III 300 *progredimur* citavit, ubi legitur *progredior*. Interpolata vel in textu Arusiani vel in codice Vergiliano quo hic usus est Aen. VII 640 *induitur loricam humeris* pro his *loricam induitur*, IX 796 *per ignes* pro *virosque* (ut in Veneto *per hostes*), X 59 *Troiae* pro *patriae*, 212 *caeruleo* pro *semifero* (cf. 209).

Corrupta sunt haec quoque: *poteris* ecl. I 79 pro *poteras*, *alienum* ge. II 76 pro *aliena*, *prono* Aen. X 586, cum verum sit *pronus*.

Multa praeterea, quae etiam in nostrorum librorum parte reperiuntur, ex interpolato exemplari hausta sunt. Composui exempla quaedam:

= *F1M1*, Nonius: *omnipotentis* pro *omniparentis* Aen. VI 595
= *MR*, cf. Servius: *quicquam* pro *quiquam* ge. IIII 447 cf. *Mγ*: *suum* pro *sua* Aen. IIII 233
= *M2PRγbc*: *validam* pro *duram* ge. IIII 331
= *M1Pγbc*, cf. Servius: *silva* pro *Sila* ge. III 219
= *M2Rbc2*: *saliere* pro *saluere* ge. II 384: cf. comm. crit.
= *γm*, Fronto: *temperat* pro *temperet* Aen. II 8
= *γ*, cf. Servius et Pompeius: *haud* pro *aut* Aen. IIII 370
= *γ2a2bc* *Achillis* pro *Achilli* Aen. II 275
= *c1* *manebat* pro *manebit* Aen. VII 596
= *χ* *Libyae* pro *Libycae* Aen. IIII 320
amplectens pro *amplexus* Aen. III 607.

Librario grammatici tribuo *mores* Aen. VI 743 pro *manes*, *ammovit biiugis* Aen. X 587 pro *admonuit biiugos*.

Ex interpolato codice *Marius Victorinus* videtur sumpsisse quod Aen. V 428 *redduxere* testatur extare, quod et codicibus nostris omnibus repudiatur et merito displicuit L. Muellero de re m. 362: nam manifestum rarioris verbi *abduxere* glossema est. Contaminavit idem Aen. IX 503 *dedit* ex similibus locis in vocis *procul* vicem inserendo.

Cledonius Constantinopolitanus quoque ex corrupto exemplari hausit quod etiam in *P2Ryb2c* nunc legitur *equites* Aen. XI 464 pro *equitem*.

Nec magis integram memoriam quam Servius Nonius Priscianus et ex libris nostris *bχ Agroecius* Gallus secutus est, cum Aen. XII 727 *aut* coniunctionem poetam interposuisse dicit. Memoria falsus est cum in ecl. IX 52 *solitum* pro *puerum* scriberet.

Saeculo quinto quanto studio in Vergilii poematibus versatus sit *Macrobius* ex eis, quae supra disputavimus, satis superque elucet. Ac vindicavit recte accusativum *Diomede* Aen. XI 243 contra eos qui *Diomeden* scribendo numeros pessum dederunt. Sed non rationem habuit Hygini et vetustissimi quod hic inspexerat exemplaris, quod ge. II 247 *amaro (PRc1)*, non *amaror* legit. Laudandus quod ge. III 223 *longus (M)*, non *magnus* tradit, et Aen. IX 584 *matris (γ)*, non *Martis*. Ambiguum per se utrum *dolorem* quod legit vel ut apud Orosium est *dolores*, an *labores* Aen. II 362 verius sit. Sed ex interpolato codice sunt haec: *praestantius* pro *praesentius* ge. II 127. *pliadas (γ1χ)* pro *pluvias* Aen. III 516, *talibus ausis (γ2b2mχ)* pro *laudibus istis* IX 252, *quassantem (χ)* pro *iactantem* V 469, *alios (b2c2χ*, Donatus) pro *aliquos* VI 664, *loquentis* (Moret. tert.) pro *ardentis* XII 101. Nec magis probandum quod solus habet *molis* pro *montis* ge IIII 361. Librarii potius quam correctoris vitium est *stant Gauranae acies* pro *et Sacranae acies* Aen. VII 796. Contaminatum ex simili loco *ulla apparet tellus* pro *ullae a. terrae* Aen. III 192 sq. Memoriter ascripta *mugitus veluti* pro *qualis mugitus* Aen. II 223, et *diversi magno* pro *adversi rapto* 416, quae ipse aliis locis rectius tradidit.

Nihil fere quod ad restituenda Vergilii carmina bonae frugis sit

Claudius Sacerdos memoriae prodidit. Eandem enim quam nostri fere omnes *(MPRγc)* et Servius interpolationem Aen. X 705 *(Parim creat)*, et III 340 a correctore ortam librorum *Fγabc* et Servii lectionem *quem* pro illa *quae (M)* propagavit. Obtrectatoris nescio cuius malignitate suppositum esse puto quod aeschrologiae exemplum protulit *arrecti* pro *intenti* Aen. II 1. Commentatori (cf. Serv.) reddendum quod Aen. V 739 *Phoebus* apud eum legitur pro *saevos.*

Quoque in libris Vergilianis nihil saepius factum est, ut in scholae usum iam inde ab antiquissima aetate similes aliquo modo loci conferrentur suprascripto ex compari versu uno vel altero vocabulo, unde saepissime genuina suprascriptis expulsa sunt, id etiam in eo libro, unde apud Claudium Sacerdotem exempla Vergiliana sumpta sunt, factum esse praeter alia hoc indicio proditur. Quod enim tmeseos illustrandae causa bis ge. III 381 laudatur sic 'septem *conpacta* trioni' pro *subiecta,* inde explicandum quod ecl. II 36 scripsit poeta 'septem *compacta* cicutis'. Ergo vel tenuissimam utriusque loci similitudinem scholasticus nescio quis in exemplar inferendam esse putaverat. Item scholam sapit quod Aen. III 229 'scandi' *rurs in secessu* iubet, 'cum *rursus* posuerit poeta', quod tamen a litteratoribus etiam in Pierianis plerisque interpolatum pro genuino *rursum.* Librarius grammatici commisisse potest *acquirere* pro *accedere* ge. II 483.

Praeclaris ex fontibus hausit *Nonius Marcellus*, cui unam debemus emendationem *populos* pro vulgata *Rutulos* Aen. X 111, quam prudentiores interpretes satis explicari non posse confessi sunt. Aptum erat post haec 'Tros Rutulusne fuat nullo discrimine habebo' non idem de Rutulis separatim adseverare, sed sequentia 'sua cuique exorsa laborem fortunamque ferent', quae ad utrosque pertinent, hoc promisso praeparare: nec ipse intercedam ut solvam acies populorum, nam 'fata viam invenient'. Repetit idem pulcherrimam lectionem ge. II 81 *exilit* in solo *γ* servatam, quam librariorum *(Mabc)* neglegentia corrupit omissa L inter duas l: sed recentiores his vel Lachmanni coniecturae parum numerosae credere maluerunt quam antiquae memoriae. Testimonio confirmat *calorem* ge. II 344 *(MRγbc)* eodem neutrius generis exemplo Plautino addito, quo Philargyrius *calor*, ut in *P* extat, defendit, ut ex eodem utrumque commentario hausisse suspicer. Praeterea *tenendum* ge. II 371 *(tuendum RV?)*,

serenas I 461 *(serenus b1)*, *pecudum* IIII 327 *(pecorum PRγ1b)*, ablativum *oleo* ge. II 222 *(oleae Mbc)*.

Fidem meruisse idem videtur quod Aen. IX 764 *tergum (MP2γbc)* testatur, quamvis Charisius sive Palaemon *tergus* (ut *P1R*) legerit. Nam cum pecorum grege fugientes hostes nullo praeterea vocabulo comparavit poeta. Verum esse potest quod solus testatur *obnixi* Aen. III 208, quod potuit facile aliis videri *adnixi*, ut in omnibus libris extat.

Sed non credo ei *subnixus*, ut etiam in libris optimis legitur, Aen. IIII 217 poetam scribere maluisse quam *subnexus*, quod Statius probavit. In interpolato codice, quales *MR* sunt, legit Aen. V 520 *contendit*, quo et fortius et ante 'ostentans' versu sequenti elegantius exhibent *M2Pγb contorsit*. Falso probavit Aen. II 62 cum *b* (cf. Serv.) *dolo*, cum melior lectio sit *dolos*. Ex ge. IIII 246 *durum* exhibuit, quod est in *c*, cum ceteri *dirum* praeferant. Agnovit cum Servio et *M2γabc* interpolatum versum ge. II 129, cum *Vγc* contaminata ex simili loco *per annos* ge. II 294 pro *nepotes*. Absurdum quod 'veteres' narrat 'numina *leva*', ut pro *laeva* ge. IIII 7 in *γ* extat, a levando dici putavisse.

Solus auctor est corruptae lectionis *tribulaeque trahaeque* ge: I 164 pro *tribulaque traheaeque*, sed cf. *Mγc*. Ex lemmate Mercerius Aen. III 180 *ancipitem* pro *ambiguam* legisse glossatorem effecit.

A certis testimoniis transimus ad ceteras scripturas partim etiam librariorum neglegentia (velut ge. I 183 IIII 522) turbatas. Raro, ubi duplex memoria est, meliores nostrorum codicum tradit his exemplis:

ecl. IIII 26 *parentis (γ1bc: parentum Rγ2)*
- V 80 *votis (PR1γabc: voti R2)*.

Multo saepius adoptavit deteriores, quarum quam varii testes sint his locis satis apparebit:

= *F1M1*, Arusianus: *omnipotentis* pro *omniparentis* Aen. VI 595

= *F2MRγbcψ: iacteturque* metri causa factum ex *iactetur* Aen. I 668

= *F2MRγbc: iubeto* pro *iubebo* ge. III 329

= *MPγ: transadigit* pro *transabiit* Aen. IX 432

= *MRγbcmψ longo* pro *longam* Aen. I 703

= *MR?ybc*, Gellius: *in praeceps* pro *praeceps* ge. I 203
= *MRy umbram* pro *umbras* ge. I 157
= *MR aristis* pro *avenis* ge. I 226
= *Myabcψ*, Priscianus: *fetus* pro *fetum* ge. II 196
= *Mt: ingenti* pro *ingentis* ge. II 351
= *PRybc* et alii grammatici: *magnus* pro *longus* ge. III 223
= *PRc*, cf. Philargyrius: *ubera* pro *flumina* ge. III 310
= *PVyabcm*, Servius (cf. *R*): *quinas* pro *binas* Aen. V 96
= *yc* et alii grammatici: *parvo* pro *exiguo* ge. II 472
= *b herbam* pro *herbas* Aen. IIII 404.

Quae solus vel in codice corrupto et interpolato invenit vel ipse memoriter laudando genuinis supposuit talia snnt:

ge. I 143 *pascuntur vero silvas* pro *saltibus in vacuis pascunt*
- - 508 *formantur* pro *conflantur*
- III 447 *mersus* - *missus*
Aen. I 414 *et* - *aut:* cf. Diomedes
- IX 690 *gradum* - *manum*
- I 574 *habetur* - *agetur*
- III 651 *primo ab litore* pro *primum ad litora*
- IIII 283 *quonam* pro *quo nunc*
- VI 661 *maneret* - *manebat:* cf. Servius
ge. I 221 *vulnera* - *corpora*
- IIII 441 *commutat* - *transformat*
Aen. I 724 *laeti* - *magnos*
- IIII 462 *sera* - *sola*
- VIII 405 *notum* - *placidum*

Codices etiam Vergilianos, sed alio fortasse, velut Probo, auctore in testimonium vocat *Priscianus*, qui duplicem scripturam his locis novit:

ge. II 384 '*saliere* . . . in quibusdam tamen invenitur codicibus' *(MtPytct)* 'etiam *saluere* scriptum'.

Aen. I 323 '*pharetram* . . . sed melius in quibusdam codicibus' (nostris omnibus) 'sine *m pharetra* ablativus invenitur'.

- VII 307 '*Lapithis* . . *Calydona merentem;* sed melius hic quoque in quibusdam invenitur . . *Lapithis* . . *Calydone merente* vel . . . *Lapithas* . . . *Calydona merentem*': cf. comm. noster crit.

Aen. XI 126 '*iustitiane* ... sed invenitur etiam *iustitiaene*' (*Pybcm*), 'quod est aptius': cf. Servius.

- - 382 '*fossas* . . . invenitur tamen in quibusdam codicibus' (nostris omnibus) '*fossae*'.

Semel 'in antiquissimis codicibus' adfirmat duplici *c* scriptum esse Aen. II 664 *hocc*, quod a Velio Longo commendatum in deteriores tantum codices nostros receptum est. De distinctis vario modo verbis Aen. IIII 373 eadem fere narrat quae Servius.

Vere testatur de formis *Typhoëa* (*FMR*) Aen. I 665, *nutritor* (*Rγc*) ge. II 425, *dic* (*M1Pγ*) ge. I 208. *Sperchius* (*R*) ge. II 487 quam certum sit non dixerim. *Mycena* quod ex Aen. V 552 tradidit, reperitur in *cχ*, nam elegantius poeta *Mycenae* scripserat: sed numerum saltem singularem recte commendavit. Parum pro consilio confidenter poeta *legat* scripsisset ecl. VI 10, si fides habenda esset Prisciano, cui ex nostris solus *m* adstipulatur, cum ceteri *l'eget* praebeant. Nec eidem credendum quod Aen. X 788 cum *mχ* legit *femore*, cum optimi testes *femine* confirment; nec de his scripturis: *syrtis* (Menag. alt.) Aen. X 677 pro *rupes*, *ille* (*M2χ*) VII 110 pro *ipse*, *tereti* (Menag. alt. et Zulich.) 731 pro *lento*, *terra* 290 pro *terrae*, *regno* pro *terra* VI 811, *bellatur* pro *pugnatur* VII 553, cum ipse alio loco *certatur* adferat.

Ac manifestam interpolationem, qua nostri quoque plerique (*MP2Rγcmψ*) inquinati sunt, *decernere* pro *cernere* Aen. XII 709 inperite excusavit. (Eadem perversitate in tractatu illo, quem quinto Prisciani libro subiecit Hertzius, *fetus* ge. II 196 defenditur, pro quo solus *P* genuinum servavit *fetum*.) Ne inspexerat quidem textum, cum ecl. VIII 8 testaretur extare '*quondam* tua dicere facta', et *labitur* Aen. IIII 68 pro *uritur*.

In laudatis praeter testimonium poetae verbis deteriora dedit his exemplis, quibus varia vice codices nostri quidam adstipulantur:

= *F1MP2γ2bc*, cf. Servius et Cledonius: Aen. II 445 *tecta* pro *tota*

= *F2Rγb2cm* Aen. V 143 *stridentibus* pro *tridentibus*

= *Mybc*, Servius: Aen. II 105 *causas* pro *casus*

= *Pγabc* al. Aen. III 621 *effabilis* pro *affabilis*

= *γc*, Nonius, Donatus al.: ge. II 472 *parvo* pro *exiguo*

= *b2χ* Aen. IX 371 *portis* pro *castris*

= *Arundel.* ge. III 367 *aequore* pro *aëre:* cf. Aen. V 862
= *Montalb.* Aen. IX 418 *volat* pro *it*
= *Erfurt.* Aen. X 847 *succumbere dextra* pro *succedere dextrae.*

Solus ex interpolato et corrupto codice protulit

Aen. IIII 323 *morituram* pro *moribundam*
- - 374 *suscepi* - *excepi*
ge. II 175 *adgredior* - *ingredior*
Aen. II 377 *illapsus* - *delapsus*
ge. IIII 120 *fibris* - *rivis*
Aen. VI 400 *Orci* (ut Seneca) pro *antro.*

Memoriter prolata et partim contaminata cum similibus locis haec sunt:

ecl. IX 54 *ipsa fugit* pro his *iam fugit ipsa*
ge. II 439 *ullis* pro *rastris*
- IIII 69 *animosaque regum* pro *trepidantia bello* (neque enim quisquam putabit haec ex priore georgicon editione sumpta esse: cui opinioni totius loci sententia repugnat).
Aen. I 87 *it caelo* pro *insequitur*
- III 621 *nec dictu f. nec visu* ordine inverso.
- IIII 282 *magno imperio monituque* pro *tanto monitu imperioque*
- V 133 *auro* pro *longe*
- - 140 *omnes* pro *suis*
aurea clamor Sidera pro *aethera clamor Nauticus*
- - 188 *Mnestheus* pro *socios*
- - 189 *socios* pro *Mnestheus*
- - 441 *hos aditus iamque hos aditus* pro *nunc hos nunc illos aditus*
- - 500 *summis* pro *validis*
- VI 270 *obscuram noctem* pro *incertam lunam*
- - 372 *vix ea* pro *talia*
virgo pro *vates*
- VII 682 *Celemnae* pro *Gabinae*
- VIII 557 *metus* pro *timor*
- IX 281 *Nisus ad haec* pro *Euryalus.*

Digitized by Google

Quaedam etiam consulto mutavisse videtur Priscianus, ut paulo iucundiora lectu efficeret exempla sua, velut

Aen. V 510 *qui primus* cum sequentibus coniunxit pro his *non valuit*, quae ad praegressa respiciunt.

\- VII 714 *prope flumen Himellae,* ubi legimus *et fl. H.*

ge. II 483 *sin has naturae non possim* pro *sin has ne possim naturae*

Aen. XII 533 *quatit ungula cursu* pro *super u. pulsu.*

Efficitur his omnibus nec fidem Prisciani in tradendis carminibus Vergilianis sinceram nec melioribus quam nos libris usum esse, etiamsi quaedam etiam in describendis institutionibus librarios vel peccavisse neglegentia vel sibi indulsisse, alia diorthotas interpolavisse concedamus: cf. e. g. ge. IIII 267 Aen. VI 289.

Mala coniectura *Isidorus* deceptus Aen. IIII 43 legit *Vaccaei* qui in Pyrenaeis habitabant, cum a Vergilio *Barcaei* scripti et a Servio recte descripti essent. Sed cum in pronuntiando *b* et *v* litterae permutari solitae sint, in codice aliquo *Varcaei* factum erat. Quem interpolatum fuisse etiam additum in Isidori exemplaribus *vagantes* epitheton prodit, quo in $c\chi$ quoque genuinum *furentes* expulsum est. Sed confirmat solutis verbis explicans II 349 quod recte Servius commendavit *audentem* ut est in $\gamma 2 a 2 b c$; quamquam in textu Isidori a librariis eodem fere modo corruptum ut in ceteris nostris codicibus. Quo exemplo satis monemur ne quid unquam in hoc genere nisi diserto testimonio confidamus (velut de Aen. I 165. 185 IX 76).

Restant scholia poetarum variis doctorum indoctorumque magistrorum commentis ita contaminata, ut nec auctor nec aetas singularum adnotationum satis discerni possit. Et Horatiana quidem, quae *Acronis* nomine circumferuntur, ab Helenio Acrone aliena esse cum constat inter prudentes tum ex codicum saeculo XV antiquiorum silentio nuper collegit Hermannus Usener (de schol. Horatianis). Commentator igitur ille Horatianus Aen. I 481 testatur extare *proruit*, quod nemo dubitaret verum esse nisi libri nostri omnes haberent *proluit* exemplo XII 686 confirmatum. Praeterea XII 876 legit *dirarum* pro *alarum,* ascriptum illud ab interprete aliquo ex v. 869.

Deteriora in describendis exemplis ubi sequitur, cum his congruit:

= *MRc,* cf. Servius: *fit* pro *it* Aen. I 725

= *Myt*, cf. Servius: *dedit* pro *dabat* Aen. XII 394
= *Mabc exiit* pro *exilit* ge. II 81
= *γ*, cf. *Mtbc*, Servius: *mirata estque* pro *miraturque* ge. II 82
= *a2b2χ e levi* pro *et levi* ge. IIII 45: cf. Servius.

Discrepat in laudandis Vergilii locis praeterea his:

ecl. IX 52 *puerum*] *longos* ex versu antecedente.
ge. I 186 *atque inopi metuens*] *metuensque inopi*
- III 351 *redit*] *iacet*, sed idem alio loco recte *redit*.
- - 381 *talis*] *quin et*
Aen. XII 84 *auras*] *amnes*, non male.

Lucani scholiasta novisse videtur duplicem scripturam Aen. XI 268 *devictam Asiam* et *devicta Asia:* nam qua significationis differentia subsidere cum accusativo vel cum ablativo coniungatur eodem quo Servius modo adnotat, unde tamen utram ipse praetulerit non apparet.

Non inprobabile esset, si testimonio niteretur quod in his scholiis legimus *incertum lunae* Aen. VI 270: et videtur quod *m.t.* in *F* scriptum est INCERTVM eodem spectare.

Interpretis esse Aen. V 154 *certamine* pro *discrimine* Servius docet. Vel memoriter prolata vel interpolatione corrupta haec: ge. I 467 *obscurum Titan* pro *obscura nitidum*, Aen. I 747 *plausum* pro *plausu*, III 383 *sera* pro *longa*.

Ceterum conspirat textus scholiastae cum nostrorum librorum parte in deterioribus lectionibus his:

= *Mt: aut* pro *at* ge. I 430
cf. *R* ad 434: *carebit* pro *carebunt* ge. I 435
= *ctχ praeruptus* pro *praereptus* Aen. IIII 516
= *χ: domus* pro *manus* Aen. XI 259.

Uno loco *scholiasta Iuvenalis* agnoscit quam Philargyrius antiquam coniecturam esse testatur *pernox* ge. III 230, cum nostri libri omnes fere cum Nonio et Servio *pernix* retinuerint. Cum Romano ei convenit de magistelli nescio cuius commento, qui Aen. VI 824 *Brutos* scripsit pro *Drusos*.

Memoria fortasse falsus pessum dedit scribendo ecl. VI 44 *reclamat* pro *sonaret*, Aen. II 507 *colapsa* pro *convolsa*, nisi forte haec quoque in codice interpolato repererat.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Describuntur quos adhibui codices.

Iam de *codicibus*, quos ad recensenda Vergilii carmina nos adhibuimus, membranaceis omnibus, dicendum est, inprimis autem de eis qui quadrata scriptura venerabilem prae se ferunt vetustatem. Singulari enim felicitate septem huius generis exemplaria supersunt, quorum tamen integrum nullum, quattuor fragmenta tantum quaedam exhibent. Enarrationem de libris *FMPRV* redux Italia anno 1854 academiae litterarum regiae Berolinensi tradidi, quae menstruis eius relationibus anni eiusdem Ianuario inserta est (p. 36 sqq.). Ceterum de *FMPR* adeundi qui Vergilianorum codicum pinaces concinnaverunt.

Litteris autem capitalibus et continuis scripta usurpavi exemplaria haec:

1) *Schedas Vaticanas (F)* numero 3225 signatas, forma quadrata, exornatas picturis. Correctae sunt manibus diversis, quarum una rudior (Aen. VII 267), alia minusculis litteris usa (ge. III 297 Aen. III 115. 325 VI 494), semel (Aen. VI 865) minio. Incipiunt a georgicon libro III. Singulae paginae et folia quot versus contineant, in commentario critico indicatum: pro picturarum enim mensura variat numerus. Folii XXIII pagina postica vacua relicta, antica tota picturam continet, ut accuratius numeratum quod Aen. III 1—12 continet folium XXIIII (non XXIII) dicendum fuerit et sequentia deinceps. In folio XXXIII post versus 62—82 et 83—92 duae columnae versus 93—121 litteris saeculi X continent: has nota *f* signavi. Primo hae schedae fuerunt Io. Ioviani Pontani, postea Petri Bembi Cardinalis, deinde Fulvii Ursini, qui eas bibliothecae Vaticanae, cui praefectus erat, dono dedit.

Picturas saeculo Constantini superiores fortasse ad tempora Septimi Severi pertinere, immo nihil in eis esse quod primam Romani imperii maiestatem non redoleret, censuit Emmanuel a

Schelestrate, qui bibliothecae Vaticanae praefectus anno 1686 cum Mabillonio et Bellorio codicem inspexit (cf. Bottari praef. IIII), nec a tam magnifica aestimatione longe abfuerunt patres Benedictini (tractatus diplomatici vol. III p. 57).

Scriptura quoque, cuius specimen dedit p. 3, Bottarius praef. V saeculi tertii ineuntis habita aequalem hunc codicem Medicei esse statuit; quo aliquanto antiquiorem esse primus monuit Ritschelius in epistola illa nobilissima de Plauti Ambrosiano ad G. Hermannum data, quae in diurnis Darmstadiensibus antiquariis anno 1837 inserta est.

Textum una cum picturis aeri incisis exprimi curavit Bottarius ('antiquissima Virgiliani codicis fragmenta et picturae ex bibliotheca Vaticana ad priscas imaginum formas a Petro Sancte Bartholi incisae. Romae ex chalcographia 1741'), sed non summa ille usus diligentia. Excerpsit postea Philippi Wagneri in usum varias lectiones Fr. Guil. Schulzius, quas ille in praef. voluminis quinti editionis Heynianae a se repetitae p. XX sqq. composuit. Ipse integrum codicem contuli.

2) De *schedis rescriptis Sangallensibus (G)* undecim partim tegumentis librorum adglutinatis dixit C. G. Muellerus in analectorum Bernensium particula III (1841) p. 1 sqq. addito etiam scripturae specimine. Sunt forma quadrata maiore, partim corrosae vel erasae, partim lacerae, scriptae a duobus librariis, nam Aen. I 381—399 paulo diversis litteris ac cetera confecti. Versus continent in quaque pagina XIX foliis praeter inscriptionem X, scilicet ge. IIII 345—382. 383—420. 535—566 Aen. I 381—418. 685—722 III 191 —228. 457—494. 495—532 IIII 1—38 VI 688—724 (inserto 678 post 695). In quibus quae legi potuerant, postquam Muellerus l. l. excerpsit, ipse anno 1859 iterum adgressus codicem quantum potui delibavi. Quod Aen. VI 678 sequitur versum 695, illuc spectare videtur, quod exemplaris, unde *G* descriptus est, vel pagina vel folium integrum versus undeviginti 678—695 continebat.

Eiusdem fragmenta alia, sed ea tam lacera ut paucae tantum litterae legi possint, quas ad Aeneidis IIII 675—682 pertinere Hattemerus vidit, in codicibus Sangallensis bibliothecae n. 248 et 275 extare narrat Muellerus p. 6.

3) Codex *Mediceus (M)* plut. XXXIX num. XXIX, olim bibliothecae Vaticanae a Cosimo I ab heredibus Cardinalis Rodulphi Pii Carpensis mortui anno 1564 redemptus, ut narrat Bandinius,

Digitized by Google

quo primi usi sunt Aldus Manutius et Norisius (cenotaph. Pisan.). Contulit totum primus Nicolaus Heinsius (ed. Elzeviriana Amstelod. 1676), typis repraesentavit Petrus Franciscus Fogginius anno 1741 Florentiae, cuius fidem ut Freytagius laudavit Wagnero, ita ipse expertus sum. Cum enim integrum codicem conferre mihi non fuerit permissum, inspectis aliquot locis debui contentus esse, in quibus quid priore manu scriptum esset, e lituris elicere contigit, vix ut dubitem quin ei qui totum librum summa diligentia, intenta oculorum acie serena luce denuo excusserit, spicilegium quoddam relictum sit. Ceterum ubicumque a Fogginio diversa testatus sum, meam interpono fidem.

Incipit codex ab eclogae sextae versu 48, reliqua optime plerumque conservata, nisi quod marginibus attonsis et forma libri aliquantum deminuta est et scholia marginalia quaedam mutilata sunt. Continet in singulis paginis versus XXIX, nisi quod in fine librorum paginae pars vel adeo aversa eiusdem folii pagina vacua relicta est. Praeterea singulare folium insertum est post Aen. VII 580, in quo versus 581—600 et 601—615 largioribus spatiis manu aliena, sed ea quoque antiqua scripti sunt. Videtur autem Medicei librarius nescio quo casu hunc locum omisisse praeter v. 582—585 qui in summa pagina sequente extant. Quod deest in ipso Mediceo folium Aen. VIII 585—613 et 614—642 continens Vaticano *F* in fine adnexum est.

Scripturam, cuius specimen exhibuit in praef. p. XV Fogginius, Valentis aut Theodosii tempora, h. e. quarti saeculi finem prodere Lucas Holstenius aestimavit, antiquiorem etiam Bottarius praef. IIII habuit. Sed de hac infra videbimus. Correxit codicem partim eadem manus quae scripserat atramento, partim minio aliena, sed ut miniata quoque hic illic superducta videantur atramento, litteris etiam minusculis adhibitis e. c. ge. II 187 IIII 461. 464. 482 Aen. II 281 XII 588.

Sat multis locis corrector usus est *apice*, miniato plerumque, quo vel delendam litteram significaret, ut Aen. I 122 HIEMṔS VI 445 ṔPOEDRAM (H) VIII 206 FUISSEŃT, vel corrigendam, ut Aen. VII 74 flamma] ÉLAMMA, 102 fauni] ÉAUNI, IX 185 fit] ÉIT, 617 o] Q́, vel efferendam vocalem, ut praepositiones Á Aen. IIII 656, et É Aen. III 176 IIII 572. 586 V 270. 644 VII 178, etiam in compositis ut ÉUINCTI Aen. V 269, ÉRIPE 690, ÉUOL-

UITE IX 528, ÉUERSAE X 45, ÉLATE XI 715, inde errore Aen. VIII 494 ·É·TRURIA, porro interiectio Ó Aen. IIII 622 V 195, imperativus DÁ Aen. IX 83, tum ad separandam ne pronuntiando aliquo modo debilitaretur, velut in his: Aen. III 588 E·Ó·O, V 105 PHAÉTONTIS, 339 D·.· IÓRES, 518 ÁERIIS, 843 ·Í·ASIDE VII 633, ·Á·ENEOS XI 770, A·É·NIS VIII 710, IÁPYGE IX 774 AEÓLIDEN; errore, ni fallor, Aen. III 150 ÍACENTIS; vel producendam ut Aen. IIII 32 CARPÉRE, V 18 X 829 HÓC ablativo, item V 314 HÁC abl., 259 LÉUIB· cf. VII 349. 634 V 306, LÉUATO VI 118, LUCIS VIII 83 SÚS.

Denique apicem repperi in pronomine relativo QÚA Aen. V 476 VI 882 VIII 49 XII 507, rectius QUÁ XI 310, QÚAE Aen. X 628.

Non intellego causam apicis in his Aen. V 613 ACTÁ·E', 831 DEXTROS, IX 171 INSTANT, XII 940 FLÉCTERE, denique Aen. I 207, ubi supra et infra vocalem lineae pictae sunt.

De ceteris notis adpictis supra p. 158 sqq. exposui.

Bucolicon carminibus et in margine et inter lineas eadem ut videtur qua subscriptio manu, sed raro ascripta scholia quaedam, qualia in ceteris libris bis aut ter redire narrat Fogginius*).

---

*) Exempli causa unum ad Aen. IX 279 quod mihi peramice Theodorus Heysius nuperrime a se summa diligentia enucleatum Florentia transmisit, hic edendum putavi, quamvis per se nullius pretii sit (cf. p. 161 sq.). Posita enim in textu supra *bella* vocem nota sic: Θ BELLA lector ad ea, quae infra in margine scripta sunt, animum attendere iubetur. Ubi Heysius legit haec:

Θ at. tendum quomodo dixerit seu pacem seu bella
geram non est quod ei meritorum non conferat
cui se crediturum et pacis iura et bellorum causas
spondit ƀ vide quam moderata responsio. tam
magna praeclaraque sibi ascanio promittente quid
////////// illud . . tam rebus fortibus dissimilem

Addit amicus diligentissimus, versiculi sexti initium cultro resectum esse et septimum quoque sententia ipsa flagitari. Inter litteras quidem difficillimas esse C hac forma Ɣ, quae vix a T discerni possit, et R interdum sic K expressam. Ceterum emendandum esse v. 1 *attendendum*, distinguendum post *geram* v. 2, certum esse v. 4 *spondit*, non *spondet*, quod sequitur *ƀ* videri *bene* significare, v. 5 *ascanio* divinatum a se potius quamvis sat probabiliter quam lectum, v. 6 supplendum esse [*ait Euryalus*?] *illud*, [*se*], et v. 7 necessaria fuisse [*non fore*].

Cetera quoque scholia marginalia pleraque narrat cultro mutilata esse, sed legi quae extant quamvis moleste omnia posse.

Digitized by Google

Subiecta est autem bucolicis subscriptio haec:

TURCIUS RUFIUS λPRONIλNUS λSTERIUS $\overline{UC}$ · ET INL · EX COMITE DOMEST · PROTECT · EX COM. PRIŪ · LλRGIT · EX PRλEF · URBI PλTRICIUS ET CONSUL ORDIN · LEGI ET DISTINCXI CODICEM FRλTRIS MλCHλRII $\overline{UC}$ · NON MEI FIDUCIλ SET EIUS CUI SI ET λD OMNIλ SUM DEUOTUS λRBITRIO XI KλL · MAI ROMAE

P UERGILI MλRONIS

θ DISTINCXI EMENDλNS GRλTUM MIHI MUNUS λMICI SUSCIPIENS · OPERI SEDULUS INCUBUI. θ

BUCOLICON · LIBER EXPLICIT

TEMPORE QUO PENλCES CIRCO SUBIUNCXIMUS λTQ · SCENλM EURIPO. EXTULIMUS SUBITλM
UT LUDOS. CURRUSQ · SIMUL. UλRIUMQ. FERλRUM CERTλMEN. IUNCTIM ROMλ TENERET OUλNS
TERNUM QUIPPE SOFOS MERUI · TERNλ λGMINλ UULGI. PER CλUEλS PLλUSUS CONCINUERE MEOS.

PRETIUM IN QUλESTUM FλMλE. CENSUS IλCTURλ CUCURRIT · NλM LλUDIS FRUCTUM TλLIλ DλMNλ SERUN ·
SIC TOT CONSUMPTλS SERUλNT SPECTλCULλ GλZλS · FESTORUMQ · TRIUM · PERMλNET UNλ DIES ·
λSTERIUMQ · SUUM · UIUλX TRλNSMITTIT IN λEUUM. QUI PλRCλS TRλBEIS. TλM BENE DONλT OPES ·

INCIPIT GEORGICON LIB. I. FELICITER

US

θ QUISQ. LEGIS. RELEGλS FELIX. PλRCλSQ. BENIGNE · SIQUλ MINUS UλCUUS PRλETERIIT λNIMUS. θ

---

3 cuius et ad *Heinsius.*
7 penaces] cf. *Iahnius l. l.* paneces, i. e. *πανεχής Henricus Valesius.*
12 partas *Heinsius.*
14 *ante 5 in ipso epigrammatis principio ponendum esse docent signa.*

Disseruerunt de hoc titulo post Nicolaum Heinsium (in Vergilio Burmanniano I p. XXXVI sqq.) multosque alios nostra aetate inprimis O. Iahnius in commentatione de subscriptionibus antiquis (acta soc. litt. Lips. 1851 p. 348 sqq.) et Ioannes Horkelius in analectis Horatianis p. 10 sqq.

Ac certum inde hoc discimus, legisse, h. e. legendo emendavisse et distinxisse Vergilii carmina in codice fratris Macarii *Turcium Rufium Apronianum Asterium* anno p. Chr. 494, quo consul fuit ordinarius.

Sed ipsa subscriptionis verba cum partim corrupta, partim correcta in margine vel supra textum hodie legantur, iure negaverunt viri docti Mediceum nostrum ipsum Macarii exemplar vel subscriptionem ipsa Aproniani manu nostro insertam esse. Nam eo sane confugere possit qui illud pertinacius contendere velit, ut coniciat, librarium consulis inperitum, non ipsum consulem verba illa cursim ab auctore in chartam conjecta mendose in codicem transcripsisse. At gravissima suspicio nascitur prorsus diverso et novicio litterarum genere quo subscriptio offendit oculos, aperte quidem illa manu recentiore inter textum et verba BUCOLICON LIBER EXPLICIT (miniata) INCIPIT GEORGICON LIB · I · FELICITER interposita. Nam cum in textu Medicei quadratae sint omnes litterae, in epigrammate subscripto maiuscularum quae dicuntur formam praebent hae: ծ ϵ vel e ꝗ (et ç) h l m p q z, quadratarum hae tantum λBFNRST, nam illae C I O U utro pertineant incertum est. Ergo vix poterit epigramma in nostrum codicem ante saeculum sextum vel septimum inlatum esse. Sed cum in eis, quae antecedunt epigramma, antiquae formae multo constantius servatae sint, siquidem eadem manus totam subscriptionem pinxit, sic statuendum erit: codicem saeculi quinti Mediceum vel sexto vel adeo septimo cum altero libro sive ipso Macarii sive apographo inde facto collatum et ad eius fidem emendatum, subscriptionem autem Aproniani ex hoc in Mediceum a librario ita translatam esse, ut quae prosa oratione subscripserat ille satis accurate ad manum eius imitaretur, epigramma autem fortasse membranae angustiis coactus consuetis litteris deproperare sat haberet.

Ceterum Macarii fratris exemplar num ab hoc ipso vel quando *ante* consulatum Aproniani exaratum sit nequit definiri. Praeterea vero cum solis bucolicis subiecta sit subscriptio, id saltem Horkelio concedendum erit minime constare, num ultra harum eclo-

garum fines Aproniani recensio processerit.' Quamquam minime a ceteris carminibus diversam bucolicon in hoc libro condicionem esse infra videbimus, ubi quae inter Mediceum et reliquos codices ratio intercedat examinabimus.

Quem autem Pomponius Sabinus qui dicitur in commentario suo ex antiquis scholiis concinnato laudat *Apronianum,* modo librarius modo corrector modo glossator Medicei codicis intellegendus est, quos ille vel levi ductus coniectura vel brevitatis causa pro uno eodemque habuit. Et congruit quidem Mediceus vel primae vel alterius manus cum Aproniani quae ab illo feruntur lectionibus hisce: ecl. IX 61 *stringunt* (ut omnes nostri habent), Aen. I 636 *dei,* II 51 *ferit,* 56 *staret* et *maneret* (sic *M2*), 62 *certe,* 691 *auxilium,* III 636 *Pergamiam,* IIII 27 *violo* et *resolvo* (ut omnes), 298 *furentis,* 314 *te* (ut omnes), 436 *dederit,* 464 *piorum,* 528 om., 551 *ferae* (ut omnes nostri), 552 *Sychaei,* V 143 *tridentibus,* VI 1 principio sexti libri positus, 126 *Averno,* 412 *et nunc* (ut omnes), 583 *scilicet (M1),* IX 214 dist. post *humo,* 230 *campis,* X 18 *rerum,* 791 *optime* (OPTIMAE *M*), XI 149 *Pallanta* (PALLANTE *M*), XII 394 *dedit.*

Contra ex scholiis sumpta quaecumque his 'ut ait Apronianus', 'intelligendum putat A.', 'intelligi vult', 'legendum putat', 'ait legendum' vel similibus formulis proponuntur, non illa tantum quae vel ad interpretationem (ad ecl. I 6 II 15 III 60 VII 6. 17. 21. 33. 53 VIII 7 X 66. 67 ge. II 295 III 39 Aen. V 620) vel ad probandas lectiones in Mediceo obvias (Aen. I 636 II 51. 76 IIII 9. 27. 298. 436. 464 VI 1? — 'principium esse *docet*' —) pertinent, sed etiam ab hoc diversae scripturae, quas ad Aproniani auctoritatem revocat Pomponius, haece:

ad ecl. IX 50 *nepotes*] 'in codice Aproniani hoc scriptum erat *nepotes hi*' (quod nihili est)

ge. II 247 'Apronianus legit *sensu amaro*' (sed *amaror M*)

Aen. IIII 273 'secundum Apronianum' (sed deest versus in *M*)

- - 663 '*mediam* legit Apronianus' (sed *media M*)

- VII 773 'Probus et Apronianus legunt *Phoebigenam*' (sed *Poenigenam M*)

Aen. XI 696 'Apronianus legit *valida securi congeminat vulnus*' (sed *M* habet *validam* et *securim* et dist. post 'congeminat').

Praeterea structura prorsus intolerabili XI 3 'Apronianus' legisse fertur *mens turbata praecipitat funera*, ubi sane *funera* in *M* quoque, sed in eodem *praecipitant* extat. Denique coniectura quamvis deterrima in scholiis istis etiam ecl. III 18 *Lacessa* quasi *Lacaena* propositum, ubi *Lycisca M* habet.

Sed haec, quae collegit Suringarus hist. scholl. Latt. II 152 sqq., num re vera in Mediceo libro adnotata vel sint vel fuerint, docebunt ipsae membranae si cui inspicere concessum fuerit. Unum ad ecl. X 66 scholion revera in eo extare testatur specimen paginae ab Heinsio expressum.

4) Codex *Palatinus* bibliothecae Vaticanae numero signatus 1631 *(P)* ex bibliotheca Palatina Heidelberga Romam translatus a Leone Allatio, forma quadrata, litteris oblongis magis quam quadratis, quarum specimen Bottarius praef. 3 et Benedictini in tract. dipl. III p. 63 tab. XXXV dederunt, elegantissime scriptus, sed corrosis partim ad marginem maxime foliis. Perierunt autem folia XXXIII, in quibus haec inerant: ecl. III 71—IIII 52, ge. I 322—II 139, IIII 461—Aen. I 277, IIII 116—162, VII 277—645, X 463—509, XI 646—692. 737—783, XII 47—93. Unam paginam Aen. X 509—531 aliena manus scripsit. Versus singulae paginae continent XXIII, tamen ut in libri cuiusque fine quod vel paginae vel folii superest vacuum sit relictum. Praeterea post Aen. I 690 nescio qua causa uni versui spatium ima pagina relictum est. Distincta verba et sententiae manu prima omnino non sunt: posterior fere constanter exitum versuum, multo rarius sententias sententiarumque cola notavit. Correctus codex modo eadem manu (ut ecl. IIII 60) modo aliena, sed ipsa quoque valde antiqua, modo denique aliquanto recentiore, raro colore caeruleo (Aen. VI 336) adhibito vel adeo minusculis (e. g. ecl. I 4 ge. I 40. 213. 314 Aen. X 527. 537. 631) litteris suprapositis.

Ad huius codicis, qui ad saec. IIII vel V vulgo refertur, fidem, sed parum accurate expressae sunt editiones Commelinianae a. 1589. 1599. 1603. Nulla fides habenda Ambrogio. Ipse primus codicem Romae excussi.

Digitized by Google

5) Codex *Vaticanus* numero 3867 signatus *(R)*, picturis sat barbaris ornatus aere incisis anno 1741 in Bottarii l. l. p. 5. 29. 41. 43 a Bartolo, formae est quadrata paulo maioris, eodem ut *P* litterarum genere, sed earum paulo maiorum conscriptus (specimen dederunt Mabillonius, Bottarius et Benedictini), continens versus in singulis paginis XVIII, folia CCCIX. Perierunt folia LXXVI vel LXXVII (ecl. VII 1—X 9 ge. II 2—215 IIII 37—180 Aen. II 73—III 684. IIII 217—V 36. XI 757—792. XII 759—830. 939—952); neque enim satis constat, utrum inter ecl. VII 1 et X 10 folia VII an VIII fuerint. Distincta vel potius ad libitum punctis lacerata (e. g. ecl. V 29 VI 35) singula verba usque ad Aen. V 91 manu crassa hominis Latino sermone vix imbuti. Correctus est textus manibus diversis, ut singulis locis indicavi, etiam minusculis litteris (ecl. IIII 14. 31 VI 74 X 23 ge. I 152 II 233. 272. 315 IIII 318 Aen. I 188. 323). Instructus est ad singulos libros argumentis metricis, quae in corollario componam. Fuit hic codex saeculo XIII S. Dionysii in monasterio aliquo Francogallico (cf. Montefalconius diar. Ital. 277 Bottarius praef. VI), inde Romam translatus, adhibitus ab Angelo Politiano, qui eum formae *Vergilius* testem laudat misc. c. 71 et 77, tum a Pierio et *Romani* nomine insignitus. Varias lectiones in calce libri sui collegit Bottarius, qui et litteras et picturas Vaticano *F* recentiores, sed tamen superiores esse iudicavit saeculo IIII, ultra quod Benedictini III 62 noluerunt ascendere. Ipse hunc quoque librum Romae excussi.

6) Schedas *Veronenses (V)* rescriptas, unde scholia primus edidit Angelus Maius Mediolani anno 1818, repetita in class. auct. VII p. 247 sqq., accurate H. Keilius descripsit (M. Valerii Probi in Vergilii buc. et georg. commentarius. accedunt scholiorum Veron. et Aspri quaestionum Verg. fragmenta. Halis 1848. praef. p. XI sqq.). Sunt autem bibliothecae capituli Veronensis n. 38, olim ut videtur Bobiensis, forma quadrata, numero una et quinquaginta, compage codicis antiqui soluta, binis tamen vel quaternionum vel quinionum quae inter se cohaerent foliis compositis, confuso ceterum ordine conflatae, de quo singulis locis in commentario critico indicium feci. Continent paginae singulae versus XIII, margines autem ampli scholia, quae quamquam litterarum formam ad minusculum genus accedentem praebent, tamen quin aut ab eodem librario aut eodem certe tempore quo verba poetae

scripta sint non dubitat Keilius. 'Magnam autem' inquit ille 'antiqua scriptura a recentiore [saeculi IX] passa est iacturam'. Neque enim transversis chartis, sed eodem atque in antiquiore scriptura factum erat ordine supraposito textu novicio non scholiorum tantum, sed versuum etiam Vergilianorum pars oblitterata est. Quorum quantum nullis adhibitis medicamentis temporis a canonicis permissi angustiis coercitus expiscari potui, diligenter in commentario critico enotavi.

7) Accessit his sex Vergilii exemplaribus antiquissimis nuper septimum, indagatum illud a G. H. Pertzio. Qui cum anno 1862 ex auctione librorum Limborchianorum Hagae habita tria Vergilii folia membranacea pulcherrima litteris capitalibus scripta bibliothecae Berolinensis nomine et auctoritate redemisset, statim intellexit eiusdem codicis esse, cuius fragmentum aliquod Aen. IIII 302—305 Mabillonius saeculo XVII admirabundus amicis monstraverat, quod post mortem eius anno 1709 Ruinartus in Mabillonii de re diplomatica libro (p. 635) exprimi curavit, repetiverunt autem patres Benedictini in tractatus novi diplomatici volumine III p. 41. Nam quod Silvester in palaeographiae universalis vol. II coniecit in Vaticana bibliotheca Mabillonium anno 1685 vel 1686 schedam illam vidisse narratque quattuordecim tum temporis eiusdem codicis folia in ea extitisse, unde tamen inter incendii, quod anno 1768 accidit, tumultus duo, tertium scil. et quartum, perierint, reliqua autem duodecim se ipsum anno 1841 ibi vidisse, hoc et fide et probabilitate carere persuasit Pertzio Ulricus Koehler (in commentariis menstruis academ. Berolin. 1864 p. 278 sqq.). Qui certo documento firmavit, iam ante medium saeculum XVII non plus quattuor foliis georgicon, quae etiamnunc in Vaticana bibliotheca numero 3256 signata adservantur, Romae extitisse. Sed haec ipsa ita comparata sunt, ut non scripturae tantum genere et forma membranae, sed versuum etiam continuitate intellexerit Pertzius Berolinenses et Vaticanas hasce schedas eiusdem codicis particulas esse. Nam excipiunt sese singula folia hoc ordine, ut

schedarum	Vaticanarum	folium	I	contineat	ge. I	41—80
-	Berolinensium	-	I	-	- -	81—120
-	Vaticanarum	-	II	-	- -	121—160
-	-	-	III	-	- -	161—200

schedarum Berolinensium folium II contineat ge. I 201—240
- Vaticanarum - IIII - - - 241—280

Ac totidem versus, quadraginta scilicet, vel in singulis paginis viginti, tertia quoque scheda Berolinensis exhibet, scilicet ge. III 181—220. Iure igitur Pertzius haec septem folia Vaticano-Berolinensia et fragmentum illud Aeneidis Mabillonianum unius codicis nomine comprehendit; quo quidem iure *Augusteum* appellaverit, infra videbimus. Descripsit autem et pulcherrime imitandum curavit in commentatione academica Berolinensi anni 1863 sic inscripta: 'Ueber die Berliner und die Vaticanischen Blätter der ältesten Handschrift des Virgil', quam mox appendice quodam correxit in menstruis acad. Berol. commentariis anni 1864 mense Aprili inserto p. 276 sqq. Unde provenerint schedae ipsa inscriptione constat haec: CLAVDIVS·PVTEANVS·FVLVIO·VRSINO·D·D·, unde consentaneum, eas ante annum 1594, quo mortuus est Puteanus, ex Gallia in Italiam, anno autem 1600 post mortem Fulvii Ursini cum reliquis eius libris in bibliothecam Vaticanam translatas esse. Si autem integrum etiam tunc volumen, quod plus trecentis olim foliis constitisse Pertzius computando statuit, fuisset, non in nostrorum foliorum primo inscriptio illa legeretur, sed in ipso libri fronte posita fuisset. Textum harum schedarum edidit vir clarissimus I. I. p. 105 sqq., cuius particulas Vaticanas Helbigius conferente Brunnio ex codice descripsit, Berolinenses ipse et typis vulgaribus exprimi et egregia lithographi arte ad antiquarum membranarum imaginem ita depictas oculis proponi curavit, ut ad perfectae imitationis laudem nihil deesse videatur. Variam huius codicis scripturam infra proponam. Dubitanti mihi de paucis quibusdam minutiis amice et accurate per litteras respondit Hugo Hinckius meus, qui nunc Romae versatur.

8) Antiquissimis his proximus accedit *codex Gudianus* fol. no. 70 signatus *(γ)* membran. saeculi IX foliis LXXXVII. Desunt ge. II 212—260, h. e. versus XLVIIII, transpositi ge. II 53—211 h. e. versus CLVIIII post 293, turbati igitur 53—260, h. e. versus CCVIII vel octies XXVI, item I 53—104, h. e. LII vel bis XXVI versus post v. 130, h. e. post v. XXVI; porro III 123—144 (versus XXII) post v. 170 (h. e. post versus XXVI). Repetitur Aen. V 665 post 689, h. e. post versus XXIIII. Unde conicio etiam in archetypo aliquo, non tamen eo unde ipse Gudianus

descriptus est, folia quaedam, quorum singulae columnae versibus XXVI constabant, turbata fuisse.

Post explanationem de vita Virgilii et argumenta decem eclogarum prosa oratione enarrata brevis VITA VIRGILII PVLLII MARONIS sequitur, deinde CARMEN OVIDII NASONIS 'Virgilius quantus concessit homero' e. q. s. (Burmanni anthol. L. II 192) et argumenta tetrasticha georgicon (Burmanni II 189), monosticha (190) et decasticha (192) Aeneidos; item tertia VITA VIRGILII et post commentarium eclogae primae quarta cum introductione in bucolica. Ceterum pauca a bucolicon et ab Aeneidos initio folia in margine scholia exhibent. Versus autem ipsi Vergilii binis in quaque pagina columnis redeunt quadrageni, ascriptis eadem manu in margine scripturis variis. Codicem, qui olim Tornesii fuit, nunc in bibliotheca Guelferbytana adservatur, Bernae excutere contigit nota liberalitate Bethmanni illi bibliothecae praefecti.

9) Codices *Bernenses* membr. 172 saec. X *(a)*, 165 saeculi IX *(b)*, 184 saec. IX *(c)* describendi otium fecit C. G. Mueller in analectis Bernensibus p. 7 sqq. Hic pauca quae scitu necessaria sint monenda.

Continet igitur *a*, qui olim fuit P. Danielis, post vitam et prolegomena bucolica, georgica, Aeneida usque ad V 852, singulae textus paginae ut complectantur versus XXIIII. Sed ultimi folii inde a libri quinti versu 805 dimidium dextrum rescissum est. Margines bucolicon maxime et georgicon scholiis antiquis oppleti, quae parum accurate, ut audio, edidit Muellerus programmatis Rudolphipolitanis quattuor annorum 1847. 1852. 1853. 1854, mox emendatiora repetet Hermannus Hagen Bernensis.

Repletus item scholiis et in margine et inter lineas codex *b*, qui XXX in quaque pagina versibus continet textum Vergilianum usque ad Aen. XII 918, sed aliena manu duobus in foliis ut adiecti sint versus LXXVI ge. IIII 311—386, quinque lineis in ea quae praecedit pagina vacuis relictis. Unde conici fortasse potest binionem, cuius singulae paginae versuum XVIIII erant, archetypi periisse. Sed Aen. I post 124 sequitur 159 omissis versibus XXXIIII vel XXXV, nam 159 quoque in margine demum adiectus; et post Aen. I 686 omissi versus X.

Ex libro uncialibus litteris scripto hunc codicem ortum esse docet corruptela ecl. IIII 36 *achills* pro ACHILLES. Suntque Aen. I 310 et 419 hoc charactere, simili illo quidem Vaticani *F* scripturae, picti.

Bongarsii olim fuit codex *c* a librario inperitissimo Latinique sermonis prorsus ignaro scriptus, vel potius duabus manibus diversis, quarum altera incipit a georgicon libro secundo. Continent in priore parte singulae paginae versus XX, in altera XXVIII. Omissi ge. IIII 44—75, h. e. versus XXXII, qui fortasse unum archetypi folium efficiebant. Scholiorum aliquanto minus in hoc libro quam in *b*.

Contuli textum librorum *bc* integrum, codicis *a* eas tantum partes quae non leguntur in Romano *(R)*.

10) Non vidi *Minoraugiensem (m)*, unde primus excerpta edidit Hasslerus in progr. Ulmensi anno 1855, tum accuratius ab anonymo collectae scripturae in programmate gymnasii Feldkirchensis anni 1860/61 prodierunt. De hoc quidem codice enarrationem uberrimam diurnis gymn. Austr. anno 1865 p. 141 sqq. inseruit Emanuel Hoffmannus. Ortus autem codex ille ex Praemonstratensium abbatia Weissenauensi, quae Augia Minor appellatur, sublato sancto collegio Comiti a Waldburg-Zeil per hereditatis vicissitudines traditus, apud quem anno 1854 ab Hasslero collatus est, ab illo postea patribus a societate Iesu donatus nunc in bibliotheca eorum Feldbachensi extat. Continet codex membr. saeculi XII probabilius quam decimi bucolica et Aeneida, cuius tamen folia quaedam recentiore manu scripta sunt.

Caput XII.

De scriptura codicum antiquissimorum.

Aetatem librorum litteris capitalibus scriptorum arctioribus quam saeculorum quinque p. Chr. primorum finibus circumscribere quam sit difficile et lubricum satis inter peritos constat. Qua de re tum demum certiora fortasse eruere licebit, si quis omnium quotquot huius generis extant codicum specimina accuratissima arte expressa collegerit et sub conspectum posuerit. Quae cum inscriptionum imperii Romani exemplis eadem quam liberae reipublicae monumentis Ritschelius inpertiit arte imitandis comparata, in auxilium vocatis cum subscriptionum si quae sunt indiciis tum orthographiae quae dicitur mutationibus et barbariae ingravescentis maculis num certos quosdam aetatum gradus ut prodant futurum sit expectandum. Ego in magna subsidiorum penuria quid de Vergilianorum codicum aetate apud me constituerim, breviter significabo.

Ac primum Prudentius poeta quoniam anno aetatis quinquagesimo septimo (praef. 1 sq. coll. 24), h. e. p. Chr. 405 opera sua in vulgus edidit, certum est codicem eius carminum Parisinum, cuius apud Mabillonium de re dipl. 354 uo. 2 et in Benedictinorum tractatu diplomatico vol. III tab. 35 specimen extat, non posse saltem hoc ipso tempore antiquiorem esse. Atqui capitalibus litteris integerrimis, quales fere in Palatino maxime et Romano Vergilii conspiciuntur, hic totus scriptus est, ut iniquius profecto videatur Alberti Dresselii arbitrium, qui in prolegg. ad Prudentium p. XXXVIII adn. 28 ad octavum saeculum detrusit: sexto tribuit Arevalus prolegg. 74. Rursus intra annos ante Chr. 31 et post Chr. 79 certissimum est scriptum esse quod in volumine Herculanensi II extat carmen de bello Actiaco, nec post aunum nostrae aerae 79 ortae esse possunt inscriptiones quae in Pompeianis parietibus leguntur. Herculanenses autem litterae satis indiligenter et inaequaliter scriptae partim vel ad uncialium quae dicuntur formam accedunt. Nam praeter rectam E rotunda

quoque Є, item pro F anguillae similis ϛ, pro I vocali quasi numerus arabicus simplex 1 legitur, litterae Q eadem fere forma quae in Prudentii codice est Q (apud Prudentium Q), duplex forma litterarum G (G et G), H (h et H), P (P et P), T (T et T), quam maxime denique varia vocalis V (V V V U U et quae inter has media sunt: U in Prudentii codice). Accedit autem ad huius codicis similitudinem inter omnes ceteros quantum video proxime Ambrosianus Ciceronianarum orationum (pro Scauro etc.) palimpsestus. Atque eandem vel adeo maiorem formarum varietatem in muris Pompeianis agnoscimus (vide in Ritschelii thesauro tab. XVII n. 28. 30, quibus paulo diligentius scriptae 23 et 22).

Ergo per se multo minus ad amussim scriptum exemplar vel splendidissimo et accuratissimo quattuor adeo saeculis potest antiquius esse, nec abstinuerunt vel primo saeculo librarii neglegentiores formis litterarum rotundioribus et cursivo generi similioribus. Imitari autem vel pulcherrimas litterarum capitalium formas in sacris maxime libris et in titulis subscriptionibusve ne post quintum quidem saeculum usque ad decimum dedidicerunt. Mixtae ex capitalibus et minoribus litteris scripturae exemplum quod certae adsignari possit aetati Augustini Bellovacensis apud Mabillonium p. 357 n. 3 codex est, cuius subscriptio ad annum 625 pertinet. In quo cum capitales sint C G I L N O R S T, maiusculae a b m t u, minusculae d e h p q, universam quidem hanc normam vere videmur statuere, ut saeculis sexto et septimo ei tribuantur libri, in quibus mixta appareant litterarum genera, eo autem propius attingere quintum saeculum codicem quo plures servaverit litteras capitales, octavum, quo plures admiserit maiusculas.

Sed inter Vergilianos codices antiquissimos septem hae intercedunt scripturae rationes. Maxima similitudine inter se continentur ab altera parte schedae *A* et *G* (id quod non fugit E. Hoffmannum cum Pertzii inventum enarravit in ephem. gymn. Austr. anno 1865 p. 132), ab altera *P* et *R* codices. Nam illae cum largioribus et crassioribus et quadratam fere formam aequantibus litteris conspicuae sint, hi oblongis et aliquanto gracilioribus et magis curvatis, sed eis profecto non minus nitidis aliam sane disciplinam vel consuetudinem scribendi repraesentant. Proximas a Palatini et Romani elegantia schedas *Veronenses (V)* dixerim, sed hae ut similiores etiam sint *Vaticanis (F)*. Omnium vero si

quid video maxime exilis et rudis species est *Medicei*, in quo adeo sunt quae a capitalium litterarum norma magis quam in ceteris recedant, scilicet litterae *i l t u*.

Cetera ex tabulis lithographis, quibus exempla codicum proposita sunt, cognoscentur. Similia autem Palatino et Romano praeter Prudentium supra laudatum maxime dixerim Sallustii fragmentum Toletanum, nunc Berolinense, et Taurinenses Ciceronianarum in Pisonem et pro Tullio schedas quales Peyron imitatus est, nisi quod in utroque codice vocalis U forma non Palatini et Romani, sed Vaticanarum Vergilii schedarum consuetudinem sequitur. Item medius inter has et illos videtur Sallustius Vaticanus rescriptus, cui adiungas Verrinarum Ciceronis codicem palimpsestum, Plauti Ambrosianum, Bembinum Terentii. Inter Vaticanas Veronensesque Vergilii schedas et Mediceum posuerim palimpsesta Vaticana Lucani et Livii.

Sed hi codices omnes cum certa temporis nota careant, librariorum nobis sectas, non certa aetatis discrimina litterarum diversitates indicant. Verum est singulares propter magnitudinem formae et quadratae scripturae integritatem esse schedas *A* et *G*, sed ne huic quidem praestantiae tantum tribuerim, ut ceteris vetustiores esse concedam. Concedo magnificentiores et pretiosiores esse, sed quales vel post primum saeculum opulento homini, qui et membranas amplissimas et pingendi artifices pretio sibi parare posset, librarii facile effingere potuerint. Omnes autem codices nostros, pulcherrimos etiam, ultimis imperii Romani saeculis multo rectius quam vel Augusteae aetatis elegantiae vel Hadriani Antoninorumque temporibus cultissimis tribui ipsis verborum formis et corruptelis satis probatur, quae partim pronuntiandi qualis sequioribus saeculis ingruebat barbariem vel rusticitatem, partim ignorantiam adeo sermonis Latini turpissimam produnt. Nec intacta hac labe nostra exemplaria Vergiliana esse et ea demonstrabunt, quae paulo infra propositurus sum, et indice quem prolegomenis subieci grammatico apparebit.

Iam vero multo gravior quaestio est, quale fuerit scripturae genus in eis libris sive in eo libro, unde nostri vetustissimi orti sunt. Cicero quidem in epistola ad fam. XVI 22 Tironem iussit si quid librarii ipsius manu non intellegerent monstrare, unamque omnino addit interpositionem difficiliorem esse, quam ne ipse quidem facile legere soleat; nec minus memorabilia quae fratri

Quinto scripsit (ad Qu. fr. II 15b): 'calamo et atramento temperato, charta etiam dentata res agetur. scribis enim te meas litteras superiores vix legere potuisse; in quo nihil eorum, mi frater, fuit quae putas. neque enim occupatus eram neque perturbatus nec iratus alicui, sed hoc facio semper, ut quicumque calamus in manus meas venerit eo sic utar tamquam bono'. Una librarium hora peragere secundum epigrammatum suorum librum adfirmat Martialis II 1, 5, ut poetarum quoque carmina non minus quam orationes et acta notis, quae linguam velocitate vel aequarent vel superarent (Seneca ep. 90, 25 Manilius IIII 197 sqq. Martialis XIIII 208), scripta fuisse statuendum sit. Ergo ne Vergilium quidem, cuius Gellii etiam aetate idiographi libri venibant, aut qui illius aevo ad vulgi usum exemplaria conficiebant librarios tales proprie litteras, quales in Pantheo vel in aliis monumentis publicis lapidi vel aeri incisis conspiciuntur, mira diligentia pinxisse quisquam Pertzio credet. Quod nullo certius argumento refutatur quam erroribus librariorum, quibus quae in vetustissimis libris maxime inter se similes fuerint litterae ita demonstratur, ut dubitatio nulla reliqua sit.

Cum *MPR* ceterisque omnibus habet ge. IIII 355 Penei, quod glossema esse post Schraderum Bentleium L. Muellerum (de re m. 275) nuper Peerlkampus quoque Mnemos. I. I. 295 contendens *nostri* proposuit. Sed versus Aen. III 226 formam qualis apud Servium Danielis legitur, non magis agnoscit quam *MP* et reliqui recentiores. Item ab omnium codicum nostrorum, inter quos *FMP*, partibus stat omissis tribus versibus, quos post Aen. III 204 'circumductos et extra paginam in mundo inventos fuisse' Servius accepit: quae vereor ne callida interpolatoris fabella fuerit.

Nec aut optima aut deterrima quaeque adsumpsit *G*, sed veris falsa intermixta, tamen ut plura emendata (ge. IIII 348. 361. 551 Aen. I 701 III 210. 466. 483 IIII 26. 28 VI 692. 699. 704. 718. 724) quam corrupta vel temere mutata (ge. IIII 347 Aen. I 706. 719 III 211. 484. 503 IIII 25 VI 702) sint. Atque emendata paene omnia in quibus cum *P* consentit, item in bonis praeter unum versum interpolatum convenit fere cum *F*, cum *MR* falsa et vera pari fere ratione communia habet, sed quae in solo *R* praeter *G* leguntur, falsa esse solent.

Discrimina autem scripturae ubique talia sunt, ut facile ex eodem codice vel obscurius scripto vel neglegentius descripto nasci potuerint, nec diversa ab his, quae propria habet *G* paucissima. Inter quae verum est *defundit* ge. IIII 415; a Servio inter lectiones varias relatum quod ab altera manu est *fuerit* Aen. III 499 (nam *fueris* librarium commisisse certum); singulare sed non probabile *elabsus* ge. IIII 410; peccata levia quae cum *Bernensi b* communia habet *faciamus* Aen. III 504 et *cultus* ge. IIII 559. Ergo *Sangallensem* quoque ad librorum *FMPR* familiam pertinuisse qui statuet, refutari vix poterit.

§ 3.

Transimus ad *Veronenses* schedas, quas adfinitatis vinculo cum *Palatino* coniunctas esse demonstrant paucae quaedam lectiones utrique libro soli propriae: ecl. VI 5 *diductum (deductum R)*, 16 *iacebat (iacebant R)*, ge. II 365 *acies*, quoniam non dubitandum quin erasa in *V* littera S fuerit (ACIE *M* ACIE *R*, with S written above), 368 '*tum*' bis, ubi '*tunc*' *MR*, III 3 *carmine* si recte legi,

ubi *carmina MR;* 376 *specibus* (*specubus M speciebus R*); Aen. II 90 *fallacis* nisi fefellit species, glossema verae scripturae *pellacis*, quam *M* servavit; IIII 174 *quo* varia lectio apud Servium quoque pro eo quod *MP2R* praebent *qua;* IX 363 in versu spurio *pugna*, ubi *pugnam M* et *praeda R;* denique quod maxime memorabile Aen. V 96 *caedit quinas* a Nonio et Servio quoque lectum, pro quo cum in *M* servatum sit quod verum est *caedit binas*, utrumque ita coniunctum est in *R*, ubi CAEDITQ· BINAS extat, ut concludam in archetypo aliquo hoc fuisse CAEDITBINAS (· QV suprascriptum).

Nam communem etiam cum *Mediceo* originem Veronensis libri inprimis probat, quod in utroque LITORA adnexum est versui Aen. I 2; praeterea autem haec exempla: ecl. VIII 43 *duris* (NVDIS, suprascr. D R, *P*); ge. II 106 *dicere (discere a2c2);* ge. II 287 *se extendere (se* recte omissum in *PR); 542 fumantia (spumantia PR);* Aen. II 632 *dea* (DE, suprascr. A, *P deo M2V2*); 699 *tollit*, ut etiam in *F* extat, interpretando ortum ex eo quod multo exquisitius in *P* legitur *tollere*; V 278 *cauda* ut *P2 (clauda M2P1R)*; VII 669 *innexus (innixus PR)*. Porro alia, ubi solius *R* praeter *MV* memoria superstes est: Aen. I 2 *Lavinia (Lavina R)*; VII 329 *atra (ora R)*; 330 *verbis (dictis R)*; 351 *spirans (inspirans R*, quod tamen nunc minus placet: nam factum videtur ex Aen. I 688 et VI 12, sed praeripit quod paulo post v. 354 sqq. multo subtilius enarratur); 412 *manet* (*tenet R*, quod etiam in *M* suprascriptum, glossemate autem ortum esse ipsa scholia Veronensia docent); 414 *mediam (media R)*. In his omnibus interpolationes vel coniecturae Romano relictae sunt.

Sed idem alia prava participat cum Veronensi: ge. III 369 *confecto (conferto MP)*, IIII 540 *intactas* ni fallor *(intacta GM)*, Aen. IIII 168 *conubii* (*conubiis P*, sed deleta S), V 484 *reponit (repono MP)*, VII 502 *replevit (replebat M);* magis probabilia ge. II 292 *radice (radicem MP)*, 371 *tuendum* inlatum ut videtur ex II 195 et III 305 *(tenendum MP)*; Aen. VII 490 *manum* (MANV, suprascr. M, *M manu F*).

Vidimus cum singulis *M, P, R* Veronensi codici modo in

veris modo in falsis convenire, multo autem saepius convenit cum binis eorum:

1) cum *MP* ge. II 283 *errat (erravit R)*; 370 *fluentes* (*valentis R* interpolatum); Aen. II 667 MACTATOSANGVINE (ubi *mactatos* recentiores libri praestant); 680 *subito* (SVBITV M *F*, quod necessarium, ut in archetypo SVBITV scriptum fuisse coniciam); IIII 191 *a* om., interpol. *R*; V 449 *radicibus (radicitus R)*; 480 *in ossa (ossa R)*; VII 667 *inpexum (inplexu R)*; 678 *defuit (deficit R)*.

2) cum *MR* ge. II 353 *findit* (*scindit P* errore librarii); Aen. IIII 169 *malorum* (*laborum P1*, sed correctus m.2); V 261 *Ilio alto* (ILIONALTO *P*); 280 *movebat (ferebat P)*; 486 *ponit (dicit P)*; VII 671 *cognomine* (*de nomine P* ex interpretatione ortum); 689 *tegmen* (*tegmina P* coniectura inlatum); IX 375 *agmine (aggere P)*; 400 *hostis* (*enses P*: cf. Servius).

3) cum *PR* ecl. VI 2 *Thalea*; Aen. V 281 *velis — plenis (plenis — velis M)*; VIII 38 *solo* (ut in mg. *M*, ubi in textu LOCO errore librarii).

Quibus accedunt 4) alia, ubi idem correctura in *M* quoque inlatum est: ge. II 278 *secto* (SEPTO, C superscr., *M*); IX 380 *aditum* (ABITVM, D superscr., *M*: probat cum Servio ipse scholiasta Veronensis *abitum*, estque *aditum* librarii vitio ortum); 382 *complerant (complebant M)*, Aen. X 754 *insidiis* (INSIGNIS, DI superscr., *M*).

Extant in *PRV* Aen. X 20 sq., qui in *M1* recte in unum contracti sunt.

5) Conspirat *V* cum *MPR* Aen. IX 369 *regi* (*regis* 'omnes boni' ap. Serv.). Cum eisdem ceterisque omnibus commune habet Aen. III 705 'teque datis linquo *ventis*', sed poetam scripsisse *velis* puto: cf. ge. II 41 Aen. I 35 II 136 V 796 XII 264, tum III 686. *ventis* ortum ex glossemate comparato IIII 546 'ventis dare vela iubebo', cui similis III 9 'dare fatis vela iubebat'. Nam 'dare classibus austros' quod animus est sociis III 61 nihil valet ad nostrum locum tuendum, ubi deest 'navibus'.

Nec abhorrent a Veronensibus schedae Vaticanae *(F)*, quamquam quae utrisque propria sint notatu digna vix repperi, nisi quod Aen. I 236 OMNIS corr. I in E *F* et OMNES *V* habent,

cum *omni* tueantur *MR*, quod alteri lectioni praetulit Servius.

Sed consentiunt praeterea *FMV* Aen. VII 507 *(repertum*, ubi EST addit *R)*;

E
FRV 486 *lati*, quod correctum in *M*: LATI;

FPRV ge. III 5 *aras*, quod secunda manu etiam in *M* restitutum est, ubi m. 1. *arces* legitur;

FMPV Aen. II 691 *auxilium* ut omnes libri, cum *augurium* Probi commentarius praebeat.

Discriminis contra maioris a *F* quam a *MPR* indicia in *V* nulla indagavi.

Restant quae singularia in *V* enotavi perlustranda. Inter quae memorabiliora sunt haec: ecl. III 38 *facilis*, quod Donatus legit; unde in *R* coniectura factum *fragilis*. Alios legisse *facili*, quod Gudiani auctoritate ipse in textum recepi, testatur Servius: et extitit idem in Palatini archetypo, cum FACTI *P* habeat. Grammaticorum testimoniis firmatum ecl. VIII 28 *timidi*, pro quo cum m. 1 in *P* sit TIMIDE, fortasse ne in huius quidem exemplari vera scriptura oblitterata fuerat; hinc demum prava analogia ducti *timidae* effecerunt, quod in *M* extat. Aen. VII 593 *testatus V* quod necessarium, *testatur M* R*. X 742 ATQVAE, h. e. *ad quae V*, quo accedit ATQVAEG *P*, inde ATQ· *M1*, sed ADQVEM coniectura *R*, quod probavit Medicei corrector,

M
qui fecit ATQ· . VIII 25 LAQVARIA *V* bona et antiqua forma, LAQVEARIA *MPR*. X 737 *hau V1 (haud V2 haut PR*
H
AVT *M)*.

Alia deteriora. Ge. II 294 *nepotes MPR*, *per annos V* similis loci, ut saepissime apud Vergilium usu venit, comparatione interpolatum. Eadem causa 359: *valentis MPR bicornis V*. Item interpretis, non poetae est Aen. V 473 *animo (animis MPR)*. Librarii vitio commissa haec: Aen. II 719 *ne V (me MP)*; X 740 *ne (nec MR)*; X 64 *obduitum (obductum MPR)*, compendio neglecto Aen. II 677 *hac (hanc FMP)*, addita temere N Aen. VII 340 *velint (velit MR)*.

Unum a litterarum similitudine longius recedit: X 242 *igni*, quod etiamsi legit Haterianus ferri tamen nequit, cum in *MPR ipse* optime tradatur. Ac mihi quidem videtur *igni* illud nisi

male lectum a librario certe a commentatore aliquo inepto, qui *Ignipotens* nomen in duo vocabula dissecuit, voci *invictum* praepositum esse, ut quo pertineret eadem mente significaret, quae fuit Hateriani.

Correctoris in *V* pauca vestigia reperiuntur: Aen. I 246
AE
PRORVPTVM (et novit utramque lectionem Servius); II 474 CON-
ENT DEO
VOLVENS nisi fefellerunt oculi (*convolvit MP*); 632 DEA
O A
(DEA *M* DE *P*, et hic quoque in partes ierunt grammatici).

Ceterum certi grammatici recensionem repraesentare Veronensem codicem non invenio: nisi forte quod Donatum ecl. III 38, Haterianum Aen. X 243 sequitur, reliqua etiam, ubi varia commendavisse grammaticos accipimus, ad horum auctoritatem referre audebis, velut haec: ecl. VIII 28 *timidi*, ge. III 3 *carmine*, 376 *specibus*, Aen. I 2 *Lavinia*, II 632 *deo*, IIII 174 *quo*, VII 490 *manum*, VIII 25 *laquaria*.

Mihi quidem Veronenses schedae videntur ex libro aliquo descriptae esse, qui codicum *FMPR* similis variis lectionibus sat multis et glossematis et correcturis copertus erat, unde pro arbitrio librarius quae vera haberet in suas membranas transtulit. Exempla ut pauca delibem, velut haec fingo mihi in archetypo
S AE SE
extitisse: ecl. III 38 FACILI VIII 28 TIMIDI ge. II 287 EX-
PER ANNOS A
TENDERE 294 MVLTOSQ·NEPOTES III 3 CARMINE Aen. II
FA I VI
90 PELLACIS VII 486 LATE 502 REPLEBAT et quae sunt alia. Nullum enim locum invenio, cuius variae scripturae non possint tali ex fonte facile derivari.

§ 4.*

Iam in schedarum *Vaticanarum (F)* indolem inquirendum est. Quas primum peculiari cum *Palatino* societate iungi his exemplis probatur:

ge. III 166 *circos* (quamquam antiqua manu L in *F* suprascr.,
I
nam verum *circlos R* habet, leviter erratum CRICLOS in *M*); 329 *iubebo* (*iubeto MR*, quod correctoris temeritas etiam in *F*

Digitized by Google

intulit); IIII 173 *antrum (Aetna M);* Aen. I 469 *et* m.1 ut vid. *(nec F2MR);* 668 *acerbae (iniquae MR, item F2* et suprascr. in *P);* II 448 *illa* (*alta M,* suprascr. in *F* quoque); III 82 *adgnovit (agnoscit M);* 93 *et* m.2 suprascr., habet in textu *M*; 108 *in (ad M);* 123 *domum* (*domos*

N
M propter sequentia); 125 *Naxum* (NAXO *M*); 126 *Olearum* (levi enim errore OLLARVM in *F*, sed *Olearon M*); *Farum (Pharon M);* 137 *dabant* (corruptum ex *dabam* quod *M* servavit et in *F* quoque corr. factum); 330 *flammatus* (*inflammatus M* vulgare: cf. IIII 54 I 50); 336 *Pergama* (*Pergamiam M* idemque fere correctór in *P* restituere voluit temere); 673 *intremuere (contremuere M)*; 675 *et (e M);* IIII 28 *primum (primus GMP2R);* 54 *impenso* (*incensum MR,* itaque etiam in *FP* correctum, utrumque legit Servius); 286 om. in textu, interpolatus in *M* et in mg. *F* m. rec.; 564 *concitat (fluctuat M,* quod suprascr. in *γ);* 576 *instimulat* (*stimulat M);* V 786 TRAXERE *(traxe* quod necessarium *P2R, traxisse M1F2);* VI 37 *poscit* (*poscunt MR,* utrumque legit Servius); VII 5 *exequiis Aeneas* (ordine male inverso *MR*); IX 155 *ferant (putent MR* glossema); XI 882 *inter (intra MR).*

In quibus eum veris falsa mixta sint, nulla tamen magis clara adfinitatis indicia quam mera librariorum errata velut Aen. III 137 V 786 vel interpolamenta quale ge. IIII 173 reperimus. Hemistichium III 661, quod dedecori est Palatino, Vaticanis quoque schedis inferre temptavit vel librarius vel corrector, sed ab incepto flagitio ut statim abstineret: nam suprascripsisse minusculis litteris hic satis habuit.

Cum *Mediceo* solo convenit schedis Vaticanis exemplis hisce: ge. III 172 *faginus (facinus PR);* 310 *flumina* (*ubera PR,* utrumque legit Philargyrius, sed ut illud glossemati praetulerit); IIII 460 *supremos (supremo PR)*; post 472 om. tres versus, quos interpol. *R;* 493 *stagnist*] *stagnis (stagni est R);* 538 *praestanti (praestantis R);* Aen.

S
I 268 RESTETIT *(res stetit R);* 518 *cuncti nam lecti (cunctis nam lecti Pl,* addita m.2 S post LECTI; CVNCTI NAM

C
LETIS *R);* II 187 *possit (posset P)*; 197 NEC CLARISEVS,

nisi quod CLARISSAEVS *M (nec Larisaeus P)*; 198 *millae (mille P)*; 445 *tecta domorum* (*tota P1*, utrumque legit Servius, sed *tecta* ex comparatione Aen. XII 132 inlatum); 665 *fluctus*, neque enim aliud est FLVCTVR quod in *F* legitur (*fluctu P*, utrumque legit Servius); 666 *fugam* (FVGA^M *P*); IIII 497 *super imponant* (*super imponas M2P:* pluralis ab eis factus, qui *viri* v. 495 pro subiecto haberent); IIII 559 *iuventa* vel IVENTA ut *F (iuventae P)*; VI 231 *viros (domos P1R)*; 528 *additur (additus PR)*; 595 *omnipotentis (omniparentis PR*, item *F2M2)*; 702 *pars (par GR:* deest totus versus interpolatus in *P)*; VII 224 *concurrerit (concurreret R, concurritur P)*; 242 *ad (at P et R)*; 289 *abusque* (*adusque R:* cf. Servius); 324 *dearum (sororum R* interpolatum, item suprascr. in *M)*; 436 *undam* (*alveo R* interpolatum); 440 *effeta* nisi quod ETFETA *M (effata R)*; 448 *flammea (fumea R)*; 458 *somnum ingens* nisi quod SOMNVS *F* (inverso ordine *R*); *rumpit (rupit R)*; 490 *manu (manum RV*, item *M2)*; 495 *levaret (lavaret R* et fortasse *V)*; 640 *loricam (lorica R)*; 643 *complerint (complerunt R)*; IX 56 *se dare* (recto ordine *PR*, item corr. in *FM*); 67 *qua* (*quae P1R:* cf. Servius); XI 877 *e* om. in textu, sed suprascr. (habent suo loco *PR*).

Inter quae ceteris notabiliora ge. IIII 493 Aen. I 268 II 197 IIII 497 VI 702 IX 56 XI 877, tum ea quibus *Palatino* adversantur *FM;* reliqua, ubi nec illius nec aliorum antiquorum codicum testimonia praesto sunt, interim nil nisi diversitatem *Romani* illustrant.

Sed huic quoque propria quaedam cum solo *F*, eis maxime locis ubi librorum *FMR* tantum auctoritas servata est:

ge. III 163 *studia (studium M)*; 212 *religant (relegant AMP)*; IIII 482 *innexae (implexae M)*; 493 *Averni (Avernis M)*; 548 *facessit* (etiam *V* ut videtur, CAPESSIT *M*); Aen. IIII 18 *fuisset F1P2R (fuissent F2MP1)*; 58 *frugiferae F1R (legiferae F2M)*; V 112 *talenta (talentum MP)*; VII 4 *signat* (*signant MP.* Signat Caietae nomen locum, ubi ossa eius condita sunt.) 288 *longe (longo M)*; 298 *aut (haud M)*; 317 *hac (at M)*; 430 *para (iube M)*; 444 *gerent (gerant M)*; 464 *aquae vis (aquai M)*; 622 *ru-*

pit (rumpit M); 628 *iuvat*, nisi quod IVVANT corruptum in *R* (*iubet M*, quod ex LVBET glossemate corruptum); 642 *exciti (acciti M);* IX 123 *animis Rutuli* (*animi Rutulis MP* ex comparatione II 120 V 404 corruptum); 160 *flamma (flammis MP)*.

Consensus, ubi deficiunt alii, exempla habeto 1) cum *MPR* Aen. V 139 *finibus* (*funibus* correxi), IX 121 om.; IX 513 *cum* ut ceteri omnes, ubi *num* scripsi. Nam nec placet indicativus *cum . . . iuvat*, ubi minime quod subito vel cito evenerit infertur, nec adfirmatio perseverantiae, cui statim sequentibus verbis 'nec iam sufficiunt' (515) contradicitur. Languida autem Ladevici interpretatio, qua voluntatem saltem quam vires defecissent laudavisse putatur poeta. Quem tali in periculo, maxime cum ipse Teucris victoriam exoptet, decebat ipsum quasi horum ex mente quaerere, *num* omnis ingentium saxorum casus supter densa testudine laturi essent Rutuli. Et praevidit quod futurum erat: 'nec iam sufficiunt'. Permutatarum autem a librario litterarum N et T exempla supra attuli: atqui si semel TVM factum erat, id in CVM mutare correctori pronum erat.

2) cum *MP* Aen. III 40 *auditur* (*auditus* 'vetus' ap. Serv.); 153 ('in multis non invenitur' Serv.).

3) cum *MIR* VII 638 *trementis (frementis M2)*.

Alii sunt loci, ubi conspirant *FMR* maxime contra *P:*

ge. III 305 *haec* (*hac P* vulgari forma, utrumque invenit Philargyrius); 338 *Alcyonen*, ut in Probi commentario legitur *(Alcyone P);* 348 *agmine (agmina P);* Aen. I 193 *humo (humi c2χ);* 479 *aeque*, vel AEQ· ut in *M* est *(aequae F2P);* 517 *linquant (liquant P);* 665 *Typhoea* (*Typhoia* alii teste Servio); VI 607 *intonat* (*increpat P* glossema: cf. VIII 527 Servius); VII 7 *portum* (*portus P* quod facile potest verum esse); 16 *sera (saeva P);* 430 *arma* (*arva* correxit Peerlkampus); VIII 78 *propius* (*proprius P1* frequenti errore, utrumque Servius legit); 81 *monstrum (mostrum P);* 83 *sus* (*suus P* ex grammatici cuiusdam doctrina); IX 33 *nigro* (*magno P);* 68 AEQVV͞ (M) vel AEQVM ut *F* (AEQVOR *P*, unde *aequor* recte restituitur); 153 *circumdare (circumdate P1);* 229 *et scuta tenentes* (de *P* vide comm. crit. et acad.

Berol. relat. a. 1854 p. 41); XI 871 *equis (equos P).* Deni-
C M
que I 444 *sic nam,* ubi levi errore SIGNAM *M* (SIGNA *P*).

Et librorum *FR* scripturam *Medicei* corrector etiam his locis vel restituit vel addidit: ge. III 202 *hinc* (*hic M1P*); 204 *Belgica (bellica M1P):* 347 *hosti (hostem M1 hostis P);*
S
Aen. IX 37 *et scandite* vel ETCANDITE ut *F* (*ascendite MP,* sed 'alibi SCANDITE' *M* in mg.).

Iam codicum *FMP* contra *R* maxime consensus exemplis firmandus. Consentiunt autem ibi potissimum, ubi glossemata aliaeque interpolationes vel coniecturae in *R* irrepserunt. Aen. I 497 *stipante* ut IIII 136 (*comitante R* ex II 40. 370 V 76 inlatum: sed illud reginam decuit); 664 *natae (nate R,* corr. *MP);* III 111 *Cybele* (*Cybeli Servius:* cf. comm. crit.); IIII 40 *insuperabile (intractabile R);* 91 *furori (pudori R);* VI 33 *omnia (omne R);* 242 interpolatum om. (habet *R* et intra lineas add. m.2 *M*); 591 *pulsu* (*cursu R* et suprascr. in *FM* glossema); VII 207 *penetravit (penetrarit R);* 232 *que (ve R);* 237 *precantia* (PRECANTV̆ *R*); VIII 90 *celerant (peragunt R);* IX 53 *campo (campis R);* 120 *monstrum (dictu R);* 131 *adempta (dempta R);* 156 *est* recte om. (habet *R* et m.2 add. *M*); 162 *secuntur* nisi quod *sequuntur M (secuti R);* 529 interpol. om. (habet *R*).

Paulo rarius convenit inter codices *FPR* contra *M*, sed ita fere, ut meliorem scripturam servaverint: Aen. I 427 *theatris (theatri MP2);* 513 *percussus (perculsus MR2);* IIII 54 *flammavit (inflammavit MP2);* V 812 *timores* (TIMORE̅ *M*); VI 254 *fundens (infundens M);* 255 *lumina* (*limina M,* non male); 505 *litore (in litore MP2);* 553 *bello (ferro M);* 559 *strepitum (strepitu MP2),* sed *hausit F2P1,*
E
haesit F1MP2R: ergo in archetypo fuerat STREPITVṀ—HAVSIT; 889 *venientis (melioris M);* VIII 90 *rumore (rumone M1);* IX 52 *attorquens (intorquens M);* 130 *expectant (exspectans M1:* ille antiquus librarii error, cui S visa sit T); 135 *datum est (datum M).*

Consentiunt *FMPR* V 139 in corruptelis *finibus*, VI 520 *curis,* IX 146 *sed,* 513 *cum,* 226 omisso *et,* in damnando Aen. IX 121; *FMP* Aen. III 111 *Cybele* veteri coniecturae patroci-

Digitized by Google

nantur, cum *Cybeli* verum sit; habent eidem v. 153 quem 'in multis' non inveniri, sed admodum necessarium esse Servius dicit. Certe idem II 775 interpolatus est.

Inter Veronenses vel Sangallenses vel Augusteas, si dis placet, et Vaticanas schedas quae ratio intercedat quoniam supra satis quaesitum est, restat ut quae solus *F* praebeat colligamus. Sunt autem haec:

ge. III 190 *occeperit* m.1 alienum ceteroquin a Vergilio verbum *(acceperit PR, accesserit AF2M)*; 347 *inuito* errore librarii *(iniusto MPR)*; IIII 169 *fervit* archaismo, ut legit Philargyrius, secundum infinitivum *fervĕre* constanter a Vergilio usurpatum I 455 Aen. IIII 409. 567 VIII 677 IX 693, sed *fervet* ut hic *F2MP* cum Servio habent, etiam Aen. I 436 et ge. I 327 Aen. IIII 407, cf. p. 175 sq.; ge. IIII 530 *adfata timentem est (est* recte om. *MRV)*; Aen. I 427 *lata (alta MPR)*; 428 *petunt (locant MPR* et in mg. *F)*; 441 *umbrae* cum Probo *(umbra F2MPR)*; 473 *Troiiae* cum eodem, item II 290 VII 221 *(Troiae MPR)*; 508 *haut (aut MPR)*; 512 *averterat:* cf. IIII 106 I 38 *(avexerat M1PR,* fortius: *advexerat M2)*; 599 *exhaustis* cum Servio *(exhaustos F2MPR)*; 668 *iactetur* (*iacteturque F2MR* cum Servio, metri causa); 670 *nunc (hunc F2MR)*; II 290 *a* om., habent recte *F2MPV*; 441 *atra* errore librarii *(acta F2MP)*; 443 *ad tecta* (ACTELA *F2MP*, quod in archetypo recte AT TELA fuerat); 462 *Achaia*, quo vitatur sane cacophonia *(Achaica MP)*; 680 SVBITV (M superscr.) *(subito MPV)*; III 123 *vacere (vacare F2MP)*; 142 *negare*, suspectum propter v. 141 *(negabat F2MP)*; 339 *auras:* cf. I 387 (*aura F2MP* ut I 546); 663 *effossi* (EFFOSI (S superscr.) *P* EFFVSO (I superscr.) *M*); 668 *verrimus (vertimus MP)*; 672 *ponit (tollit F2MP)*; 681 *constiterant F2* metri causa: cf. Servius *(constiterunt F1MP)*; 684 *movent (monent PR)*; *Charybdis* (CHARIBDI~ *M Charybdin P*); IIII 24 *dimittere* aliunde inlatum (om. *GMPR*); 25 *abigat (adigat GMPR)*; 51 *et causas (causasque MPR)*; 85 *amantem* ex simili loco (*amorem MP imago R* interpolatum); 456 *est* add. (om. *MP*); 565 *in (hinc F2MP)*; V 154 *aliquo (aequo F2MPR)*; 785 *excidisse* librarii errore *(exedisse MPR)*; 805 *inmitteret* (*inpingeret MPR*, litteris minusculis suprascr.

Digitized by Google

in *F*); VI 39 *ex*, quod fortasse praestat (*de MPR*); 529 EOLIADES (*Aeolides R Oelides MR*, ut in archetypo ELIDES (AO) vel simili modo videatur scriptum fuisse: nihil turbatum VI 164 IX 774); VII 221 *mittit* (*misit MPR*); 644 *arserit* (*adserit MR* errore librariorum).

Non ita multa in his praeter calami vitia et glossemata vel interpolamenta temere in textum inlata vel coniecturas minus probabiles (ge. III 190 Aen. III 142? 681. 684 V 154 VII 221), quae ad integritatem poetae restituendam faciant: Aen. I 427 sq. 441. 599. 668. 670 II 462? 680 III 663. 668. 684 IIII 25. 51? VI 39? VII 644. His enim locis servata videntur in *F* quae in ipso archetypi textu scripta, non quae supra vel in margine scripta erant. Quaedam ad grammatici alicuius antiquiores et rariores formas praeoptantis vel in scribendis vocabulis certa praecepta exequentis, Probi ni fallor, auctoritatem redeunt: praeter Aen. I 441 ge. IIII 169 Aen. I 473 III 123. 339? Tamen non ex ipsa Probi recensione ortum esse *F* contenderim, sed ex commentariis eius frustula possunt in archetypum saepius significatum transcripta fuisse. Correctae autem vel interpolatae schedae Vaticanae fere ad *Medicei* sive solius sive cum aliis (*A* vel *P* vel *R*) conspirantis exemplum: ge. III 190 IIII 169 Aen. I 428. 441. 599. 668 II 443. 448 *(alta)* III 123. 672 IIII 54 *(incensum)* V 154.

Cum *Palatini* manu priore correctori convenit II 445 *tota*, VI 559 *hausit*, ubi male nuper E. Hoffmannus ephem. gymn. Austr. 1865 p. 508 defendit scripturam in *FIR* traditam *strepitumque exterritus haesit*, Taciti abusus exemplo, qui quod ann. IIII 28 *falsa exterritum* ausus est, notissima adiectivorum neutrius generis plurali numero positorum licentia nititur. Praeterea languidum *constitit et haesit*, quod debebat dici *haesit et constitit* ut III 597, contra quod strepitum procul exauditum territus *haurire*, h. e. arrigere aures dicitur pulchrum eique aptissimum est, qui statim v. 561 quaerit 'qui tantus clangor ad auris?'

Consentiunt correctores *F* et *P* Aen. IIII 490, ubi cum *movet manis* manus prima in *FMP* (nisi quod *movit* in *F*) receperit, *ciet* secunda suprascriptum sit in *FP*, utrum verum sit dubito, nam poterat alterum altero explicari: cf. VII 325 III 68.

Digitized by Google

A
Praeclare emendatum VI 747 *aurai* (AVRI factum ex AVRE), pro quo vulgarem formam *aurae MPR* ex archetypi scriptura
E
haec videntur derivasse: AVRAI.

Minus probanda Aen. VI 664 correctura ALIQVOS qua *alios* legi voluerat diorthota, servaverunt *aliquos MPR*.

Schedas vetustissimas quasdam, unde *FMPRγbc* praeter ceteros recentiores originem ceperunt, octonos singulis paginis versus continuisse olim in emendationum Vergilianarum p. 18 sq. suspicatus sum his usus argumentis.

1) In *F* Aen. IIII 670 transpositus est post 677, h. e. post octo versus.

2) In *M* post Aen. I 700 inserti sunt 709—716, h. e. octo versus, tum demum secuntur omissi octo 701—708: similes autem sunt exitus versuum 700 *discumbitur ostro* et 708 *discumbere pictis*.

3) In *M* post Aen. IX 732 inlati sunt 725 sq. suo loco omissi: intercedit hic quoque spatium octo versuum.

4) In *P* repetitur ecl. X 38 post 67, ut, si recte conieci post v. 42 et 46 singulos versus excidisse, sit post v. 38 suo loco positum tricesimus secundus vel quattuor paginarum ultimus.

5) In *MPγbcω* Aen. IIII 548 sq. post 547 leguntur, quos transponendos esse demonstravi post 418: intercessisse a versu 419 usque ad 547 puto quaternionem sedecim paginarum, nam 528 interpolatus deest in *MPmψ*.

6) In eisdem *MPγbcω* Aen. XII 801 sq. extant post 800, quorum locus est ante 833, versibus XXXII interpositis, h. e. quattuor paginis.

7) In *FMPγbcω* Aen. IIII 486 legitur post 485, cum inserendus sit post 517: intercedunt item versus XXXII.

8) In *FMPRγbcω* Aen. IX 146 sq. secuntur v. 145, quos reposui post v. 72: a versu autem 73 usque ad 145 omisso 121, quo carent *FMPRγbc*, sunt versus LXXII, h. e. paginae novem.

Digitized by Google

§ 5.

Romanus codex quid cum libris *AFGV* commune habeat, supra expositum est, ubi sat multa etiam adfinitatis inter *MPR* exempla congesta sunt. Restat ut eas Vergilianorum carminum partes perlustremus, quae in solis his vel adeo in *MR* vel *PR* tantum servatae sunt, propriamque codicis *R* indolem accuratius definiamus.

Conspirant igitur *MPR* his locis: ecl. VI 80 *ante* (*alte* scripsi); 85 *referre* (*referri M2P2:* cf. Aen. III 60 sq. V 773); ge. I 4 *pecori, apibus* (suprascr. ATQV· m. rec. in *R*); 6 *lumina:* cf. Servius; 7 *munere* (*numine M2*); 36 *sperant* (*sperent M2R2*); 296 *aheni* testatur Gellius: carent aspiratione *MPR*; II 341 *ferrea* (*terrea M2*); 464 *inclusas*: cf. XI 488 XII 430 Lucretius IIII 1127 (crasa *c* in *M inlusas* factum, ut legerunt Avienus perieg. 1258 et Prudentius peristeph. 14, 104: cf. Servius); 472 *exiguo* (*parvo γc* cum aliis: cf. comm. crit.); 514 *hinc* (*hic γ2*); IIII 199 *nexibus* (*nixibus* Servius); 321 *omnis* (*omnia* Ambrosius); Aen. I 289 *onustum* (*honestum* alii: cf. Serv.); 317 *Hebrum* ortum ut E. Hoffmannus ephem. gymn. Austr. 1865 p. 507 statuit ex HEVRVM scriptura (*Eurum* Rutgersius); 501 DEASVPEREMINET (*deas supereminet M2*); IIII 98 *certamine tanto* cum ceteris omnibus; V 238 *proiciam* (PROICIAM *M porriciam* alii: cf. Serv. et Macrob.); VI 1 sq. sexti libri initio positi, non quinto adiuncti, ut post Varium et Tuccam Probus adiunxisse fertur; 20 *Androgei* (*Androgeo bc* cum grammaticis). Carent versibus quattuor interpolatis qui post 289 'ab emendatoribus sublati' dicuntur apud Servium. 101 *ea frena* cum ceteris (*effrena* conieci); 383 *terrae* (*terra χ*); 438 *fas obstat*, nisi quod OPSTAT *P* et OPTAT *R* (*fata obstant M2* ut vid. et alii); VII 98 *venient* (*veniunt* alii: cf. Serv.); 110 *ipse* (*ille* suprascr. in *M*, alii); 740 *Bellae* (*Abellae* alii teste Servio); VIII 10 *consistere* (*considere P2*); 41 carent hemistichio interpolato quod profert Servius; 70 *sustinet* (*sustulit bc*, glossema); 108 *tacitos* (*tacitis* Servius); 194 *tegebat* quod recipere debebam (*tenebat M2*); 206 *intractatum*

(*intemptatum M2*); Aen. VIII 211 *raptos* (*raptor* Wakefieldus); 223 *oculis* (*oculi* alii: cf. Serv.); 277 *innexa* (*inmissa* Probi comm.); 381 *imperiis* (*imperio* alii cum Servio); 383 *Nerei* (*Neri* alii cum Aspro); 477 *adfers* (*affert* alii teste Servio); 672 *spumabat* (*spumabant b2*, Servius); IX 412 *adversi* (immo *abversi*); 456 *spumantis* (*spumanti γ*; cumque differant eidem in hoc: *plenos P1R pleno MP2*, duplex

S
iam in archetypo fuit scriptura PLENOSSPVMANTI); 584 *Martis* (*matris γ*); 657 *aspectu* (*aspectus bc*); 814 *aeger* cum Probo (*acer* quidam); X 129 *Mnestheo* (*Menestheo* Servius); 660—664 vulgato ordine (aliter Parisini); 705 *creat* nisi quod *crepat P1* (*Paris* Parisini); 714—718 vulg. ordine (aliter alii); 805 *arte* (*arce* Moret. pr.); 834 *lavabat* (*levabat γbc* cum Servio); 862 *haut* (*aut γbc*); 872 interpol. om. (habet *c*); XI 152 *parenti* (*petenti* alii teste Servio); 169 *digner* (*dignem* alii ap. Servium); 214 *longi* (*longe bc*: cf. Servius); 230 *petendam* (*petendum M2*: cf. comm. crit.); 243 *Diomeden* (*Diomede c*); 264 sq. post 263 (transposui post 268); 382 *aggere* (*agger bγ2*); 425 *varii* (*varius M2P2*); 567 *ullae* (*villae* Peerlkampus, quod valde placet); 613 *ruinam* (*ruina P2*); sed in eodem loco v. 614 conspirant *MP* in voce *sonitum* (*sonitu*), et *MR* de *ingenti* (*ingentem P*), ut dubium non sit quin variae iam in archetypo scripturae fuerint, fortasse hac forma:

M
RVINA

EM
DANT SONITV INGENTI

(cf. Hoffmannus ephem. gymn. Austr. 1865 p. 508); 801 *aurae* (*auras* 'antiqua lectio' teste Servio); XII 120 *lino* (*limo* Parisini cum Hygino et Capro); 221 *pubentes* (*tabentes c*); 342 *eminus* semel, ubi iterandum erat; 541 *aeris* (*aerci* Aldina); 605 *flavos* (*floros* 'antiqua lectio' commendata a Probo); 612 sq. interpol. om. (extant in *c*); 648 *inscia* (*nescia Meneg. alt., Goth. tert.*).

Ergo orti sunt *MPR* ex communi archetypo, qui tamen et coniecturis et glossematis grammaticorumque interpretamentis et aliis turbis casu vel neglegentia vel imperitia librarii factis a genuina Vergilianorum carminum specie non nihil desciverat.

Digitized by Google

Ad eundem originem ea quoque referenda, ubi diversa in singulis libris *M, P, R* traduntur, velut haec:

NE . .
ecl. X 49 *ne teneras R* TENERAS *P* NE TENERAS NE *M:* suprascripta iam in archetypo fuerat NE, quem in sequentibus *X* littera signabo. ge. II 301 LAEDERE TVÑSO *M* LAEDE RETVSO *P* LAEDERET· VNO *R* (*laede retunso* continua scriptura *X*); 488 CONVALLIB· *M* recte CONVALLIMVS *P* IN VALLIBVS *R*; III 69 *mallis R malis P mavis M* (*X:* MALLIS); 118 *iuvenem M iuvenum R iuventum P* (fuerat ni f. in Palatini exemplari IVVENEVM); 127 *nequeat R nequeant P* NE-
T T
QVEANS *M*; Aen. I 369 *aut venistis P advenistis R* AVD
D
VENISTIS *M*, ut videatur in *X* fuisse vel hoc vel AVTVENIS-
D
TIS; V 299 *Tegeaeae*] TEGEAEAE *P* TEGAEADE *R* TE-
A
GERE DE *M:* cf. Servius; 347 *reddentur P reddantur*
S
M1R redduntur M2; 631 *quis P* QVI *M quid R*; 680
M E
flamma] FLAMMA *P* FLAMMAM *M* FLAMMAE *R*; VII 732 *laevas caetra R* LAEVASCETRA *M* LAEVASCEPTRA *P*;
S V
VIII 43 *ilicibus sus*] ILICIBVSVVS *P* ILICIB·VSVS *M* ILI-
SS I S V
CEBVXVS *R* (fuit vel ILICEBVSSVS vel ILICEBVSVS in *X*);
D
147 *afore*] AFORE (voluit ABFORE) *P* ATFORE *M* FORE *R*;
* IS
202 *Geryonae P* GERYONE *M Geryoni R*; 214 *pararet P*
RE
pararent R PARABAT *M*; 291 *Oechaliamque ut P* OECHA-
Q·VT
LIAMQ·ET *R* OECHALIAM·E *M*; 295 *Nemeae P1 Nemea P2R Nemaea M*; 341 *nobile M* NOBINE *P nomine R* (fuit in *X*:
M N
NOBILE); 420 *gemitus stridunt P2* GEMITVS·TRIDVNT
V
P1 GEMITVS TRIDENT *M* GEMITVM STRIDVNT *R* (*X:* GEMI-
NT
TVSTRIDVNT); 512 *indulgent M* INDVLGES *P* INDVLGEET *R*; 519 *suo sibi*] SVOTIBI (T m. ant. corr. in S) *P*

Digitized by Google

S T
TVOSIBI *M* SVOTIBI *R* (S in *X* visa T); Aen. VIII 543 *hesternum P* ESTERNVM *M* EXTERNVM *R:* cf. Serv.; 559 *inexpletus MP2 inpletus R inexpletum P1*; 579 *nunc o nunc R nunc nunc o MP2 nunc nunc P1* (fuit in *X* suprascr.
G
O); IX 432 *transabiit R transadigit P* TRANSADIBIT *M*
G
(*X:* TRANSADIIT, sed B visa D); 634 *transigit.* i] *transiit i*
I AD.
P transadigit R TRAICIT *M* (*X:* TRANSIGITI); 684 *Quercens P* Q·RECENS *M* QVERCVS *R* (*X:* QVERCES); 686 *at versi*
VT V
R1? aut versi MR2 AVERSI *P*; X 144 *moerorum M* MEORVM (E corr. in R) *P murorum R*; 791 *optima P optime R* OPTIMAE *M*; XI 168 *iuvabit P iuvaret M iuvare R*; 339 *futtilis R* FVITTILIS *P* FVITILLIS *M*; 366 *fusi R fusis M fuso P*; 418 *semul P simul R* SIMVEL (I corr. in E)
I E
M (*X:* SEMVL); 480 *mali tanti P* MALITANTIS *M malis tantis R*; 526 *in M*, om. *R e P*; 609 *substiterat P substitu-*
SVB CON V
erant R CONSTITVERANT *M* (*X:* SVBSTITERĀT); 614 *sonitum ingenti M sonitu ingenti R sonitum ingentem P*; 625 *superiacit M superiicit P suberigit R*; 830 *relinquont*
N
Probus RELIQVENS (N et fort. S in ras.) *P relinquens M reli-*
S
quit R (*X:* RELĪQVONT); XII 308 *dissicit bc* DISICIT *M* DISIICIT *P discidit R*; 401 *Paeonium R Paeonidum M Paeonum P*; 515 *nomen Echionium P* NOMINECHIONIVM
SS
R NOMINEECHIONIVM *M*; 596 *incessi P* INCEÐI *M* INCENSI *R* (*X:* INCESI, ubi S visa D); 862 *conlecta R* CONIECTO *P conversa M*; 865 *ob R* AD *P* INOÐ *M*.

Discimus his archetypum librum compendiis litterarum M (Aen. XI 614 *R*) N (IX 684 *P*), suprascripta aspirandi nota ⊣, (VIII 543), fortasse in exitu versus ligata T (XI 168 *R*), ceterum litteris neglegenter et parum clare scriptis (Aen. V 299 *MP2R* VIII 147 *MP* 512 *P* 519 IX 432 *MP* XI 168 *M* 830 XII 515 *R* 862 *P* 865 *M*) usum, quibusdam locis (VIII 43. 420. 579) leviter corruptum fuisse, in quo corrector vel commentator

modo vulgares formas vocesque raris et vetustis adscripserat (VIII 202 *MR* 291 *R*: cf. *M*. 420 *M* 559 *R* IX 432 *MP* 634 *MR* X 144 *R* XI 418 *R* 625 *P* XII 862 *M*) modo coniecturas intulerat (ge. III 118 *R* Aen. V 631 *R* 680 VII 732 *P* VIII 214 *M,R* 295 *P2R* 341 *R* 455. 559 *P1* IX 684 *R* 686 XI 366 *M,P* 480 *M,R* 609 *MR* 614 *P* 625 *R* 830 *R* XII 401 *MP* 515 *M* 596 *MR* 865 *MP*). Unde factum ut coniecturae partem cum genuina lectione contaminatam praebeat *P* VIII 341, aliis locis variae lectiones in textu iuxta positae sint: ge. III 118 *P* Aen. X 791 *M* XI 418 *M*. Ceterum veram scripturam *P* duplici fere exemplorum numero quam vel *M* vel *R* servavit; cum in *R* aliquanto saepius quam in ceteros inlatum sit quod in archetypo vel suprascriptum vel in margine adnotatum erat.

Iam videamus ubi cum altero contra alterum *R* conspiret, ac primum quidem cum *P* contra *M* his locis: ecl. VI 58 *forsitam* (*forsitan M*); X 10 *peribat* (PERIBET *M*, fuit in *X*: PERIBAT); 28 *etquis* (*ecquis MP2*); 60 *sit* (*sint M*); 62 *rursus* (*rusum M1*, a correctore in RVSVM mutatum); ge. II 247 *amaro* (*amaror M* cum Hygino); 302 *olea*] *oleae* (*oleas M* ante S); 318 *concretam* (*concretum M1*); 330 *trementibus* (*tepentibus M*); 339 *hibernis* (*hiberni*); 343 *perferre* (SVFFERRE *M*); 351 *ingentis* (INGENTI *M*); 407 *fingit* (FRIGIT *M*); 467 *vitam* (*vita M*); 493 *qui novit* (QVIDQVIT *M1*: in archetypo QVINQVIT visum, unde coniectura QVIDQVIT factum erat); 513 *dimovit* (*molitus M*); 514 *nepotes* (*penates M*); III 55 *sub* (CVM *M*); 56 *mihi* (TIBI *M*); 62 *aratris* (*aratri M*); 70 *amissa* (*admissa M*: voluit ABMISSA); 78 *ponti* (PONTO *M*); 85 *premens*] PRIMENS *P* PRAEMENS *R* FREMENS *M*; 124 *denso* (*densos M1*); 144 *gramine ripa* (*gramina ripae M*); 145 *procubet* (PROTEGAIT *M*); 223 *reboant* (*resonant M*); *magnus* (LONGIVS *M longus Macrobius*); 395 *ille* (*ipse M*);

[Interlinear corrections printed above the words: BA above PERIBET; RE above PERIBAT; R S above RVSVM line; PER above SVFFERRE; S above INGENTI; N above FRIGIT; N above QVIDQVIT; S B above CVM; M H above TIBI; I above PONTO; CV BE above PROTEGAIT.]

IIII 322 *iam* (*ima M*): 331 *validam* (*duram Mt*); 368 SERVMPIT *R* SERVPIT *P* (*se erumpit M*): 418 *et* (*est M*); 430 *vasti circum* (inverso ordine *M*); Aen. I 348 *medius* (*medios M* ut 440. 491. 504, sed cf. II 508 et Servius utroque loco); 357 *patria* (*patriae M*); 374 *componat* (*componet MP2*); II 56 *stares* (*staret M:* cf. Serv.); V 312 *circum amplectitur* (*circumplectitur M*, sed nescio an illud glossemate ortum sit: cf. II 559); 350 *misereri* (*miserari MP2;* sed illud verum esse puto: nam *misereri* recte dicitur qui iuvat facto eum cuius miseret, ergo precantur supplices *miserere* et caedem ab hoste sperans Anchises II 645 *miserebitur* inquit. Contra *miseratur* qui sentit misericordiam, quae cum facto minime necessario coniuncta est: cf. ge. IIII 240 Aen. VI 476 X 758 XII 243. Solum *miseratus* participium rei qua quis alteri auxiliatur praeponitur ge. I 41 Aen. I 597 VI 28. 56, nam antecedit factum misericordia. 574 *Trinacrii* nominativo pluralis (*Trinacriae MP2*); 591 *frangeret* (*falleret M:* cf.
CVR
Serv.); 611 *concursum* (CONSESSVM *M*); 860 *saepe* (*voce M*); VI 115 *et* om. (habet *MP2*); VI 141 *quis* (*qui M*); 193 *adgnoscit*, nisi quod *agnoscit R* (*agnovit M:* cf. I 488); 452 *umbras* (*umbram M*); 476 *lacrimis* (LACRI-
N
MAS *M*); 562 *hinc* (*sic M*); 806 *virtute extendere vires* (*virtutem extendere factis M*); VII 64 *summum*
SVM S
TALAMVM *M*); VIII 45 *recubans* (RECVBANT *M*); 167 *intertexto* (*intertextam MP2:* cf. Servius); 244 *reserat* (RE-
A
SERET *M: reseret bc2*); 391 *non* (*haud M*); 401 *possum*
M
(POSSVNT *M*); 406 *infusum* ut Probus et Carminius (*infusus MP2Rt?*); 512 *fatum* (*fata MP2*); 519 *munere* (*nomine*
N
M ex 121 inlatum); 529 *sonare* (TORARE *M tonare b*, Ser-
DI C
vius); 559 *lacrimans* (*lacrimis M*); 583 *dicta* (MAESTA *M*); 662 CAESA *PR* (GESSA *M gaesa bc*); IX 274 *quod* (*quos*
V
MP2); 292 *dederunt* (*dedere M*); 455 *tepidum* (TEPIDAM *M tepida b*, cumque *recenti Pyt*, *recentem* ceteri in eodem

Digitized by Google

versu habeant, scriptum fuit in *X:* TEPIDAQ[V]·RECENTE[I] cf. E. Hoffmannus ephem. gymn. Austr. 1865 p. 508); Aen. IX 464 *suos* (*suas M*); 632 ETFVGIT, i. e. *ecfugit* (*effugit M*); 646 *forma* (*formam M1*); 678 *corusci* (*coruscant M*); 723 *quis* (*qui M.* Intulit grammaticus aliquis ubicumque 'praepositivum', ut ait Charisius p. 70, in quaerendo usurpatur pronomen, formam *quis*, velut VI 561 *MP2*); 724 *multa* (*magna M*); 733 *mittunt* (*mittet M1 mittit M2*); 764 *tergus* (*tergum MP2*); 789 *pugnae* (*pugna M*); X 138 *molli subnectens* (*mollis subnectit M*); 179 *Alpheae* (*Alphea M*); 223 *prorae* (PVPPIS[PRORAE] *M*); 270 *ac* (*a M* recte); 291 *sperat* (*spirant M*); 297 *puppes* (*puppim M*); 345 LAVSVS ([C]LAV[S]RVS *M Clausus* verum); 358 *cedit* (CEDVINT *M*); 381 *vellit magno* (inverso ordine *M* rectius); 585 *hostis* (*hostem M*); 661 *ille — Aenean* ut Urbanus (*illum — Aeneas M*); 670 *quemve* (QVO[VE], in mg. QVEMVE *M*); 763 *campo* (*campum M*); 796 *prorupit* (*proripuit M*); 824 *subiit* (*strinxit M*); XI 60 *ordine* (*agmine M*); 64 *pheretrum* (*feretrum M*); 145 *iungit* (IVNGVÑ *M*); 304 *adsidet* (*obsidet M*); 341 *ferebant* (*ferebat MP2*); 345 *ferat* (*petat M1*); 378 *semper Drance* (inverso ordine *M*, rectius); 391 hemistichium interpol. om., habet *M*); 404 LARISAEVΘS *P* LARISAEVVS *R* (LARISSEVS *M Larisaeus γ*); 410 *magna* (*magne M*); 469 *ipse pater* (*pater ipse M*); 595 *demissa* (*delapsa M*); 844 *pharetras* (*sagittas M*); 854 *fulgentem armis* (*laetantem animis M*, ubi illud a corr. suprascr.); 908 *tum pater* ex 904 (*ac simul M*); XII 24 *agris* (*arvis M*); 46 *aegrescitque medendo* (ARDESCITQ·TVENDO *M*, corr. in mg.); 104 *aut* (ATQ[V]· *M: atque* verum); 124 *ferro* (*bello M*, ut vice versa *ferro* pro *bello* contra *FPR* VI 553); 126 *decori* (*superbi M*); 142 *carissima* (*gratissima M*); 161 *reges, ingenti mole* (REX[GES] INGENTI DE MOLE *M*); 176 *vocanti* (*praecanti M*); 178 *coniunx* (*Iuno M*); 213 *conspectu* (*prospectu M*); 247 *rubra fulvos* (inverso ordine *M*); 311 *inermem* (INERTEM[M] *M*); 332 *furentis*

Digitized by Google

FV S
(PREMENTI *M*: voluit FREMENTIS); Aen. XII 389 *latebram* (*latebras M*); 394 *dabat* (*dedit M*: cf. Serv.); 417 LABRIS PLENDENTIBVS *P1* LABRIS PENDENTIBVS *R* (*labris splendentibus M*); 455 *volant* (*volans MP2*); 520 *munera* (*limina M*); 532 *excutit* (*excipit M*); 587 *ut cum* (*veluti M*); 639 *superat* (*fuerat M1*); 732 *medioque ardentem* (MEDIOTARDENTEM *M1*); 735 *primum* (*prima M*); 744 *densa Teucri* (ordine inverso *M*).

In quibus aliquanto maior numerus exemplorum servatae in *PR* melius quam in *M* memoriae: nam in illis, si bene computavi, loci LXXV, in hoc XXXXIIII rectius leguntur; peccatum quidem utrimque praeter neglegentiam commentando coniciendo comparando interpolando invertendo. Necessitatis autem inter *PR* indicio luculentissimo ipsa calami vitiorum communitas est, velut ecl. X 28 ge. IIII 322. 368. 418 Aen. VI 562 VIII 244. 662 X 270. 345 XI 64. 404 XII 417. In scribendi ratione exquisitiore consentiunt ecl. VI 58 Aen. IX 632 XI 64. 404.

Ubi ceteri antiquissimi deficiunt, convenit inter *PR* insigniorem in modum his exemplis: ecl. I 12 *turbamur* (*turbatur* 'vera lectio' auctore Servio); 59 *aethere* (*aequore* Probus); 72 *his nos* (*en quis cψ*); II 56 *est* (*es P2γ*); V 45 *carmen nobis* (inverso ordine Haun. et Probus, rectius).

Multo saepius contra his ipsis locis differunt inter se, tamen ut facile utraque lectio ex eodem archetypo possit derivari. Nonnulla autem et in *R* secundum *P* correcta et, quamvis rarius, in hoc secundum illum, h. e. secundum commune utrique exemplar. Ceterum integritate memoriae hic quoque superatur *R* a *P*: ecl. I 37 *poma PR2 mala R1*; 38 *pinus P2R nobis P1* ex v. 18; 40 *servitio me PR2*, inverso ordine *R1*; 59 *pascentur R pascuntur P*; 72 *consevimus PR2 consuevimus R1*; *agros P agris R*; 74 *quondam felix P*, inverso ordine *R*; 83 *de R* A *P*; II 1 *pastor Corydon P*, inverso ordine *R*; 12 *ad P ac R* (*at γ*: cf. Servius); 27 *fallit P1 fallet P2R*; 57 *certes P certet R*; 63 *capellam P capellas R*; V 8 *certat R certet P*; 15 *ut R*, om. *P*; 28 *feri R ferunt P*; 46 *fessis P lassis R*; 49 *abillo P Apollo R*; 49. 50. 51 *R* 49. 51. 50 *P*; 61 *dolum PR2*

modum R1; ecl. V 80 *votis PR2 voti R1*; VI 33 *exordia R exomnia P*; 38 *nubibus P signibus R*; 40 *ignaros R ignotos P*.

Pergimus ad consensum librorum *MR* illustrandum, primum
X
quidem adversus *P* his exemplis: ecl. VI 65 *dixerit* (DVERIT *P*
CASTR
duxerit γ); X 23 *castra* (SAXA *P*); *secutast* (*secu-*
VE
ta est M2PR2); 32 *vestris* (NOSTRIS *P*, unde *vostris* eli-
cui); 62 *nec* (*neque P*); ge. I 35 *reliquit* (*relinquit P*);
OL V R
282 *involvere* (INVERTERE *P*); 296 *trepidis* (TEPIDI *P trepidi γ*); 314 *et cum* (*etiam P1*); 315 *tam prudens — persuadeat auctor* (TANTARVDENS — PERSVADIT ACANTHO *P*); 330 *auris* (*austris P*); 344 *caloremque* (*calorque P*); 411 *obducunt* (*inducunt P*); 512 *patriam quaerunt* (inverso ordine *P*); 532 *veteres vitam* (inverso ordine *P*); II 332 *germina* Celsus *gramina MR* (*gramine*
E
P: in *X* fuit GRAMINA); III 25 *tollant* (*tollent P*); 38 *metuet* (*metuens P*); 65 *alia* (*aliis P*); 77 *minacis*, nisi quod
I
minaces M (*minantis P*); 91 *Achillis R* ACHILLES *M* (*Achillei P*); 111 *sequentum* (*sequentium P*); 125 *pecori — maritum* (*pecoris — magistrum P*); 130 *voluptas* (*voluntas P*); 141 *saltus* ante S (*saltu P*); 241 *subvectat* (*subiectat P*): IIII 217 *corpora* (*pectora P*); 230 *manu* (*sinu P*: cf. comm. crit.); 231 *fetus* (*flores P*: cf. Philarg.); 306 *et ante* (*ante P*); 311 *magis ac magis* (*magis magis P*); Aen. I 333 *et vastis* (*vastis et M2P*); 572 *mecum pariter* (inverso ordine *P*); 629 *consistere* (*considere P*);
M
636 *dei* (*dii P*); 723 *remotae* (REPOSTAE *P*); 746 *vel*
EL
(TVM *P*: *tum* ex antecedente versu); II 62 *occumbere*
V B
(*occurrere P1*); V 52 *urbe* (ARCE *P*); 226 *adnixus* (*eni-*
O
xus P); 323 QVOD DEINDE (QVEM DEINDE *P quo deinde γ*); 355 *quae* (*qui P1*, quod qui posuit, meminit, non Fortuna inimica, sed ipsius Nisi dolo lapsum esse Salium, non reputans

Digitized by Google

illius esse, ut perfidiam callide dissimulet); Aen. V 364 *et evinctis* (*et vinctis P:* voluitne ETECVINCTIS? Ceterum corripi *sit* a Vergilio unus locus ecl. II 68 firmat: produci aliquando nihil vetabat). 396 *habet* (*hcbet M2P*); 512 *atra:* cf. 516 (*alta P*); 518 *aeriis* (*aetheriis P*); 520 *contendit* (*contorsit M2P*); 541 *honori* (*honore P1:* cf. Lucanus VII 798 Livius II 40); 551 *decedere* (*discedere P*, quod de multitudine proprie dicitur: cf. II 109. 644 XII 184. 696, *decedit* qui relinquit locum: Aen. VI 545 XI 325, vel domum redit: ge. II 206 IIII 186); 564 *clara* (*cara P1*); 592 *Teucrum nati* (inverso ordine *P*); 731 *Latio est* (*est Latio P:* sed num *tibist* Vergilius hic scripserit post ea, quae Lachmannus ad Lucr. p. 198 sq. observavit, dubium est); 829 *remis* (*velis P*); VI 69 *templum* (*templa P*, fortasse ex 41 inlatum, quamquam per se non malum); 273 *que* (recte om. *P*); 300 *flammae* (*flamma P*); 349 *vi forte* (*vix arte P*); 477 *tenebant* (*tenebat P*, fortasse melius: cf. 479); 486 *frequentes* (*frementes P:* et pulchrum videtur Troianos etiam apud inferos visu Aeneae pugnae studio quodam exardescere, cum Graeci v. 491 *ingenti trepidare metu* parsque *tollere vocem exiguam* dicantur); 561 *plangor* (*clangor P*); *auras* (*auris P*); 846 *tu* (*tun P*); 848 *credo* (*cedo P1*, quod magnopere placet); 852 *hae* (*haec P1*); VII 654 *Mezentius* (*Medientius P*); 699 *nubila* (*flumina P*); 713 *montem* (*amnem P*); 814 *inhians* (*haesere P*); VIII 2 *strepuerunt* (SONVERVNT [TREP] *P* ex glossemate: cf. Serv.); 56 *foedera* (*foedere P*); 65 *magna* (*certa P:* cf. 39); 140 *credimus* (*creditis P*); 251 *pericli* (*pericli est P*); 257 *iecit* (*iniecit P*); 262 *atra* (ALTA [R] *P*); 337 *arma* (*aram P*); 423 *hoc tunc* (HVC TVM *P* gloss.: cf. Serv.); 460 *pantherae* (*pantherea P*); 492 *caedem* (CAEDEM [S] *M* CEDES *P*); 510 *exhortarer* (*exhortarem P*); 555 *litora* (*limina P*); 581 *sola et sera* (inverso ordine *P*, melius); 661 *coruscant* (*coruscat P*, fort. recte); 704 *intendebat* (*tendebat P* fort. recte); IX 17 *et* (*ac P*); 237 *conticuere* (*procubuere P*); 455 *recentem* (*recenti P*); 471 *movebant* (*videbant P*); 579 *infixa* (*adfixa P*); 623 *contendit* (*intendit P*); 631 *fatifer* (*letifer P*); 632

adducta (*adlapsa P*); Aen. IX 667 *adflictu R atflictu M* (*flictu P:* cf. Serv.); 710 *talis* (*qualis P*); 719 *timorem* (*furorem P1*); 722 *cernit* (*vidit P*); 747 *versat* (*librat P* ex gloss.: cf. Serv.); 782 *iam* (*ve P*); 816 *flavo* (*vasto P*); X 96 *Iuno* (*dictis P*); 100 *prima* (*summa M2P*); 126 *alta* (*Ida P*); 168 *Cosas*, nisi quod COSSAS *R* (COSSAM^{s} *P:* cf. Serv.); 303 *vadis* (VADI^{s} *P vadi* Probus); 349 *ferit* (*premit P*); 366 *quis* (*quos P*); 390 *arvis* (*agris P*); 392 *suis* (SVI^{s} *P*); 432 *addensant* (*addensent P1*); 455 *in* (om. *P*); 536 *orantis* (ORANTI^{s} *P oranti b*); 539 *armis* (*albis P1* ut vid. cum Probo); 575 *biiugis* (*bigis P*); 595 *inertis* (*inermis P1*); 670 *abii* (*abeo P1*); 815 *fila* (*lina P*, quod adlitteratione commendatur: tamen non recepi, quia *fila* parcarum poetae constanter dicunt); 838 *pectore* (*corpore P*); 839 *rogitat* (*rogitans P*); XI 118 *sua* (*cui P*); 126 *iustitia* (*iustitiae P*); 220 *haec* (*et P*); 256 *exhausta sub* (*exhausimus P*); 272 *amissi* (*amissis P1*); 275 *adeo* (*eadem P*); 335 *fessis* (*vestris P*); 338 *lingua* (*linguae P1*, fort. recte); 367 *desolavimus* (*designavimus P:* cf. comm. crit.); 389 *quid* (*qui P*); 412 *semel* (*simul P*); 418 *momordit* (*memordit P*); 463 *maniplis* (*maniplos P*); 566 *vellit* (*tollit P*); 612 *adversi* (*adversis P1*); 638 *ferit* (*furit M2P*); 821 *fida* (*fidam M2P*); 845 *reliquit* (*relinquet P*); 910 *adgnovit* (*conspexit P*); XII 247 *Iovis* (*acer P:* voluit SACER); 310 *clauduntur* (*conduntur P*); 332 *intonat* (*increpat P*); 356 *lapso* (*elabso P1:* cf. Serv.); 444 *fluit* (*ruit P*); 449 *agnovit* (*adgnoscit P*); 735 *in* (*ad P*); 862 *subitam* (*subito P*).

Non tam librariorum peccata (exceptis ecl. VI 65 ge. III 141 Aen. V 323. 396 VIII 337) quam commentatorum et interpolatorum emplastra communia habent *MR* ubi vincuntur *Palatini* integritate, qui tamen plus quam duplici exemplorum multitudine ipse vincitur ab illis coniunctis, ubi suprascripta vel ascripta in archetypo in textum recepit. Etiam ubi deficit cum ceteris, ea inter *M* et *R* intercedit familiaritas, ut ex eodem utrumque archetypo ortum esse appareat. Exempla haec sufficient:

Digitized by Google

ge. I 333 *deiecit* (*deicit γ*); 341 *pingues agni* (inverso ordine *c* cum Servio); 364 *supra* (*supera* ex Moret. qu. et Vrat. restitui); 383 *atque* (*et quae γ* cum Servio); 404 *sublimis,* nisi quod SVBLIMES *R* (*sublimen* scripsi); 418 *vias* (*vices γ*); 454 *incipiunt* (*incipient M2bc*); 461
V
ferat (*vehat bc*, idem voluit *M2* FERAT); IIII 505 *quae* (*qua c*); Aen. I 44 *pectore* (*tempore* Probus); 45 *infixit* (*inflixit* Cornutus); 70 *dissice* (*disice* alii); 120 *Achatae* (*Achati* verum); 175 *succepit* (*suscepit γ*); IIII 118 *primus* (*primos γ*); VII 363 *Lacaedemona* (*Lacedaemona γ*); 514 *incendit* (*intendit M2γ*); 562 *super* (*supera γ*); XI 650 *densat* (*denset M2b*); 664 *posttremum* (*postremum M2γ*); XII 55 *moritura* (*monitura* correxi); 92 *columnae* (*columna γ*).

Ubi ceteris deficientibus differunt inter se *MR*, deterior scriptura plerumque transiit in *R:*

ge. I 327 *spumantibus* (*spirantibus M*); 337 *caeli* (*caelo M*, ut Probus); 351 *dicere* (*discere M1*); 357 *arduus* (*ari-*
IN
dus M); 373 *inprudentibus* (PRVDENTIB· *M* cf. Serv.); 404 *aethere* (*aere M*); 418 *umidus* (*uridus M*); 436 *ad litora* (*in litore M*); IIII 505 *quos* (*quo M*); 509 *flesse sibi et* (*flevisse et M*); *astris* (*antris M*); 545 *Orpheo* (*Orphei M1*); Aen. I 129 *ruinam* (*ruina MR2*); 156 *fluctu* (*cursu M*); IIII 140 *Tyrii* ex 162 (*Phrygii M*); VII 356 *concepit* (*percepit M*); 358 *nata* (*natae M*);
D I
MPγ2c illum flevere Rγ1? illum flevere a; ge. I 216 *acci-*
u
pient o, Parrhas. *accipiũnt c accipiunt AMPRγb*; II 277 *segnius* (*setius MPVγb secius c1 estius R*); ge. III 415 *graui oχ gravis MPγc graves Rb*; IIII 421 *fidissima o*, Goth. pr. (*tutissima MPRγbc*); Aen. I 444 *signum oγ2χ sic uam FM2Ra2c signum M1γ1b2 signa P1*; 480 *sparsis* (*passis FMPRγbc*); II 640 *et rebus servate secundis* interpol. *o*, Franc., om. *MPVγabc*; 667 *mactatum oχ mactatos γbc mactato MPV*; 767 *et tacitis inplent mugitibus aras* interpol. *o*, Witt., om. *MPγabc*; III 109 *aptavit* (*optavit FMPγbc*); 205 *primo o*, Mentel. tert. (*primum FGMPγbc*); 393 *hic o*, Dorvill. cum Nonio et Cledonio (*is MPbc his γ*); 453 *tantae* (*tanti MPγbc*); 565 *descendimus* (*desedimus MPγbc desimus V*); IIII 94 *nomen oχ numen fMPRγbc:* cf. comm. crit.; 358 *in MPγbc*, om. *oχ*; 545 *insequar* (*inferar MPγbc:* cf. Servius); V 120 *impellit oχ impellunt FMPRγbc*; 752 *ambusta o*, Rottend. tert. (*ambesa MPRγbc*); VI 755 *adversas o*, Montalb. (*adversos MPRγbc adversus F*); VII 536 *pacis o*, Parrhas. *paci MRγbc*; 717 *interfluit o*, Menag. pr. (*interluit MPRγbc*); VIII 41 *profugis nova moenia Teucris* Menag. pr. *al. o*, om. *MPRγbc*; 171 *tutos o*, aliquot Pier. *lae-*
A
tos MRγbc LEGTOS *P*; 477 *adfer oχ affers MPRγb affref c*; XI 307 *bello o*, Goth. tert. cum schol. Hor. (*ferro*

Digitized by Google

MPRγbc); Aen. XI 358 *rogemus o*, Zulich. (*oremus MPRγbc*); XII 11 *retardent o*, Zulich. (*retractent MPRγbc*).

17) Quae *o solus habet:*

ecl. VII 5 *periti o*, ut coniecit Schraderus, *parati MPγbc*; 31 *hoc MPVγbc*, om. *o*; 67 *revises o1 revisas MPγbc*; VIII 40 *ab PRV?γabc*, om. *o*; *perstringere o pertinge* re *b* *contingere Rγc* CONTIGERE N *P*; IX 35 *uideor uaro o Vario videor Pγ Varo videor Ma2bcm*; ge. I 4 aut . *apibus o* hiatus causa *apibus MPγbc* APIBVS ATQ *R*; 310 *glacies o glaciem MPRγbc*; II 427 *ut o et MPRγbc*; III 163 *fluuium o studium MPc studia FRb2 studium*, *at studia γ*; IIII 563 *ergo o illo MRγbc*; Aen. I 157 *maxima o1 proxima MRγbc*; 264 *leges o mores FMRγbc*; 563 *cogit o cogunt MPRγbc*; II 280 *exponere o expromere FMPγbc*; 364 *viam o vias MPγbc*; 625 *everti o verti MPVγbc*; 631 *ruinas o ruinam MPVγbc*; 644 *fati o adfati MPVγabc*; 799 *paratis o parati MPγabc*; III 134 *aram o1 arcem FMPγbc*; IIII 238 *magno o magni FMPγbc*; 458 *antiquum* ni *o antiqui FMPγbc*; V 67 *aut o et MPRγbc*; 278 *retentans o retentat MPRγbc*; 302 *obitura o obscura MPRγbc*; 593 *vias o fugas MPRγbc*; 853 *laxabat o1 amittebat MPRγbc*; VI 198 *qua o*, non male, *quae MPRγbc*; 283 *insomnia o somnia MPRγbc*; 464 *digressu o discessu MPRγbc*; 657 *pascentif o vescentis FMPRγbc*; 840 *temptata o temerata MPRγbc*; VII 231 *feret se o feretur FMPRγbc*; 377 *bachata o lymphata MRγbc*; 641 *cantuque monete o*, ut coniecit Heinsius, *cantusque movete MRbc* CANTVSQVE MOVETE N *Fγ*; VIII 60 *dominumque potentem o iramque minasque MPRγbc*; 90 *clamore o rumore FPRγbc* RVMONE R *M*; 125 *lucos o luco MPRbc loco* v *γ*; IX 34 *campo o campis FMPRγbc*; 747 *torsit o versat MRb librat Pγc torquet* Moret. qu.; XI 185 *construxere o constituere MPRγbc*; 345 *belli o populi MPRγbc*; 473 *fossas o portas MPRγbc*; 599 *ruit o fremit MPRγbc*;

Digitized by Google

Aen. XI 811 *pulchro o* *m a g n o* *MPRγbc*; XII 280 *proturbant o* *p r o c u r r u n t* *MPRγbc*; 301 *ense o* *i p s e* *MPRγbc*; 308 *ora o* *a r m a* *MPRγbc*; 535 *furenti o* *f r e m e n t i* *MPRγbc*.

§ 15.

Vindobonensium codicum, inter quos praeter fragmentum saeculi decimi n. CXIV (*f*) duo maxime CXIII (δ) decimi et CXV (ε) undecimi, sed non integer ille, enitent, accuratam notitiam debemus E. Hoffmanno, qui in ephem. gymn. Austr. 1865 p. 477 indolem eorum copiose descripsit, quos etsi ad plenius cognoscendam textus nostri memoriam testes idoneos esse non negaverim, tamen vel ad genera corruptelae manifestius perspicienda vel ad emendanda poetae verba nihil fere conferre videntur, nisi quod cod. ε praebet Aen. VII 740 *A b e l l a e* et quod ubi extaret frustra quaesiveram XII 341 *Thamyrim* nomen. Ex reliqua farragine, ne nimis hunc librum onerarem, pauca, quibus non sine fructu apparatum criticum augeri intellegebam, hic repetenda duxi.

ecl. VIII 74 *hanc* δ; ge. II 127 *praestantius* δχ; 425 *placidam* δχ; III 502 *attactu* δ; IIII 290 *persidos* δ; 320 *affatur* δ, Mentel. 1; 421 *fidissima* δ, Goth. 1; Aen. I 189 *que* om. δ; 323 *maculoso* δ, ut voluit Madvicus; II 100 *non* δ; III 607 *amplectens* δ; 634 *Ast* ε Pariss.; IIII 27 *violem . . . resolvam* δχ; 323 *morituram* δ2 (*m o r i b u n d a m* δ*1*); 410 *uastumque* εχ; V 457 *nunc inde* ε, quod cur unice verum indicaret Hoffmannus non exposuit; 522 *subitum* δεχ; VI 383 *terra* δ*1*χ; 509 *ad quem* δχ; VII 6 *quierant* δχ: cf. Serv.; 96 *latine* δ: cf. Cledonius; 347 *sinus* δ; 551 *coeant*, suprascr. *t ueniant* ε; VIII 90 *celebrant* δε2χ; 160 *iuuenta* δεχ; 171 *tutos*, suprascr. *t letos* ε; IX 119 *aequore* δε2χ; X 79 *socios*, suprascr. *al. soceros* δ; 129 *meneste* . (erasa ut videtur *o*) δ *menesthe* ε; 536 *abdidit* ε; XI 257 *premit* δ; XII 456 *uictor* δχ.

§ 16.

Etiam aliis *recentioris aetatis libris* a Pierio, Nicolao Heinsio, Burmanno, Io. Martino, Heynio, Pottiecio minus accurate collatis

propria quaedam sunt, ex quibus pauca ut vera in textum recepi, alia vel quia probabilia viderentur vel ne quid ad coniecturarum interpolationumque veterum notitiam deesset, in adnotatione commemoravi. Vitia quidem et quae ex antiquioribus nota sunt repetere operae non duxi. Hic eos codices, qui aliquid novi vel ad verba poetae restituenda vel ad memoriam textus emendam conferre visi sint, brevissime perlustrabo, ceteros prorsus praetermittam.

Ac *Pierius* prae ceteris libris suis saepius laudat *Oblongum*. Huic proprias interpolationes, coniecturas, glossemata invenies ad ecl. IIII 33 Aen. IIII 427. 446 VIII 624. Solus cum *R* congruit in vera lectione *aversos* Aen. XII 464, cum *adversos MPγbc* exhibeant. Sed idem recepit quae Servius quoque novit *adverteret* Aen. IIII 106 pro *averteret* (*MPRfγbc*), *magni* pro *magna* (*MPRγbc*) XI 226. Apud Velium Longum legitur glossema *naves* pro genuino *prorae* (*M2PRγbc*, *puppis M1*) Aen. X 223.

Longobardico propinquus arguitur Aen. IIII 479. Atque ille quod ecl. VIII 74 praebet *hanc* pro *haec* (*MPγbc*) placuit Wagnero. Cum Quintiliano intulit ex simili loco interpolationem Aen. V 9, solus habet IIII 704 *tulit* pro *secat* (*MPγbc*). Cum *Mediceo* et *Porcio* consentit in lectione *tantum* Aen. IIII 329 pro *tamen* (*MPγbc*). Quorum hic recepto interpolamento Aen. IX 121 recedit a librorum *FMPRγbc* adfinitate. Illius notabiliores quasdam lectiones ad ecl. IIII 46 Aen. I 196 IIII 701 VI 810 (= *b*) X 871 enotatas reperies. Convenit inter utrumque XII 835, ubi ex *commixti* (*MPRγbc*) factum *commixtum*.

Ceterum quos solet Pierius minus accurate 'antiquissimum' (Aen. XI 135), 'aliquot antiquissimos' (IX 141), 'admodum vetustos' (VI 420 VIII 527 IX 140), 'antiquos plerosque' (IIII 576 = *F*, 577 IX 817 et 667 = *m*), 'antiquos aliquot' (IIII 201 V 136. 202 VIII 62. 171 IX 223. 599), 'nonnullos' denique laudare, pleraque in medium proferunt commenta nostro poeta recentiora. Melioris tamen frugis haec enitent: Aen. I 428 *petunt* ut *F1* (*locant F2MPRbcψ*); III 76 *Gyaro celsa Myconoque* (*Mycono celsa Gyaroque MPγbc:* cf. comm. crit.); 621 *affabilis* cum *M*, Cledonio et Macrobio (*effabilis Pγabc*); VII 684 *pascis* (*pascit MPRVγbc*, quod tamen ut illud III 76 in textu retinere tutius duxi); IX 141 *modo nec*, ubi *modo non*

FMPγbc cum Servio et grammaticis, *non modo R*, sententia autem flagitat, quod in *Veneto* codice legitur *modo nunc*. Ortae autem et *nec* et *non* corruptelae compendio NC. Aen. XI 418 *memordit* ut *P1* (*momordit MP2Rγbc*).

Praeter Mediceum codicem et quem proximas huic tenere dicit Gudianum *Nicolaus Heinsius* tria maxime exemplaria in antiquioribus, ut ait, habenda usurpavit quae Iohannes *Mentelius* medicus Parisinus suppeditaverat, item tria, etsi minus vetusta, commodaverat illi Bernardus *Rottendorphius*, totidem denique *Leidensia* Io. Fredericus Gronovius. Praeterea usus est duobus, quos ab *Aegidio Menagio* accepit, tum Balthasaris *Moreti* Antverpiensis libris quattuor et fragmento codicis, et *Montalbanii* Bononiensis exemplari saec. XIII scripto.

Mentelianus primus Palatini et Gudiani adfinis esse arguitur bene inverso vulgato Aen. V 777 sq. ordine. Item Aen. VII 763 ubi pro *umentia* (*MR*) in *Pc* extat HYMETIA, proximus his scriptura *ymetia*. Fortasse etiam XI 598 quod Servius quosdam legere narrat *etruri* pro *Etrusci* (sic *MP2Rγb2c*), receptum illud in Menteliano primo, Menagiano altero aliisque, manu priore in *Pb* quoque fuerat, ubi nunc *sc* litterae in litura sunt. Cum Menagiano altero et Sprotiano consentit transpositis IIII 655 sq. Defendi posse melioribus codicibus *FMPγ* et *bc* probatum ordinem non negavi, sed praeferendum esse mihi non persuasit Conrads in quaestt. Vergill. p. XVIII adn. Meo enim sensu simplicior et aptior ratio erat, cum repeteret memoria Dido quem cursum Fortunae peregisset, temporis quoque cursum servare et haec 'felix, heu nimium felix, si litora tantum numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae' urbis potius fundatae exordiis laetissimis quam tristi ultionis a fratre captae recordationi adiungere; cumque V littera uterque versus incipiat, error in describendo facilis erat. Optimam quam Probus commendavit lectionem *floros* Aen. XII 608, expulsam illam in *MPRγbcψ* 'neoterica' *flavos*, quam recte Heinsius in hoc et in Leidensi olim fuisse coniecerit nescimus. Sed auctoritatem codicis sequi debebam ge. II 8 edendo *dereptis* pro *direptis* (*Mγabc*), quod nunc paenitet in textu retinuisse: nam idem a librariis error commissus est ge. II 242 Aen. I 211, ubi *deripiunt* ab Heinsio restitutum, III 267 X 475 XI 193.

Alter Mentelianus ceteris omnibus (h. e. *MPγac*) praestat Aen. II 778 vel servata vel feliciter restituta scriptura optima *te hinc comitem asportare*, quam in *b* altera demum manus reduxit. Communi cum Rottendorphianis paucisque aliis laude fruitur quod Aen. IX 514 integrum praebet *iuvat*, variis corruptelis in *FMPRγbc* et apud grammaticos deformatum. Integritatem Palatini nondum correctoris manum passi reddit V 299 forma *Tegeaeae*, cum in plerisque, h. e. in *MP2Rγbc*, substituta diphthongo alteri sit praepositio *de;* item ut Menagianus prior X 432 verbo *addensent* (*addensant MP2Rγbc*). Neglegentiae librarii tribuo quod Aen. VII 587 et in hoc et in paucis aliis manu priore omissus est.

Rottendorphiani primi memorabilis lectio est Aen. III 553 *Aulonis* pro *Caulonis* (*MPγbc*), quae fortasse Hygino placuerat (cf. Servius). *Secundus* Aen. IX 412 solus habet quod sententia flagitat *aversi*, cum ceteri omnes, h. e. *MPRγbcψ*, etiam Nonius et Servius *adversi* mutatis scilicet ab archetypi librario litteris B et D propagaverint. *Duo* ex his Palatino adsentiunt XII 310 de genuina *conduntur* scriptura, ubi *clauduntur* glossema in *MRγbc* irrepsit. Coniecturam etiam in γ adscriptam cum Zulichemiano praebent v. 779 *ferro*, ubi *bello MPγtbc*. *Tertius* cum Montalbanio aliisque recte servavit Aen. V 522 *subitum*, ubi *subito MPRγbcψ*.

Ex *Leidensibus* uni debetur *subnexus* Aen. IIII 217 (*subnixus MPγabcψ*, Nonius et Servius). Cum Moretano primo Leidensis tuetur Aen. I 224 *dispiciens*, non ignotum illud Servio, quod ceteri omnes, *FMRγbcψ* et grammatici in *despiciens* mutaverunt. De *floros* scriptura XII 605 supra dictum.

Ex *Menagianis* duobus *alterum* Heinsius ad Aen. V 620 dicit recentioris notae, *prior* quam vetus sit non repperi. Servavit hic solus antiquam formam *exulit* ge. III 433 corruptam in *M* facta T pro S in *extulit*, novicia *exsilit* vel *exilit* in *PR* mutatam, unde in *γbc* ortum *exiit*. Ergo notandum certe Aen. III 167 *haec*, ubi *hae FMPγbc*. Et pulchrius, si quid sentio, Aen. X 908 Mezentius caesus non in *arma*, ut habent *MPRγbc*, sed in *arva* diffundere animam narratur. Ambiguum certe utrum Aen. IIII 594 Dido exclamaverit *date tela*, ut plerique (*MPγbc*) auctores sunt, an '*date vela*', ut praeter Menag. pr. Claudii Sacerdotis liber et Donati Parisinus et Prisciani quaedam exemplaria

exhibent, quod in tanta prosequendi perfidos festinatione coniunctum cum his 'inpellite remos' non mediocriter arridet. Praestat idem cum aliis (Rottendorphianis duobus et *b2*) Aen. I 725 probam scripturam *it*, coniectura in *MRγ2c* mutatam in *fit*. Bene adoptavit Medicei et Bernensis *b* correcturam Aen. X 307 *pedem*, quod poeticae dictioni aptius quam *pedes*, ut in plerisque (*M1PRγb1c*) legitur: in archetypo fuerat PEDESIMVL. Adfinitatis inter Menagianum priorem et *Palatinum* luculentum indicium hoc notavi: Aen. VII 732 *laevas caetra MRγb*, nisi quod *cetra Mγb*. LAEVASCEPTRA *P1 lacuas sceptra* Menag. pr. et Sprotian. Et soli servaverunt Aen. XII 893 quod verum est *ve*, in *MRγbc que* particula mutatum. Nec quod manu priore in *P* extat *addensent* Aen. X 432, firmatum illud Prisciani et Servii testimoniis, oblitterari passus est forma vulgari *addensant*, quam *MP2Rγbc* exhibent. Videturque etiam diorthota Palatini Aen. XI 255, ubi pro genuino *violavimus*, ut habent *Mγbc*, in *P* sic
A
extat: VIΘLAVIMVS idem inlaturus fuisse glossema *vastavimus* quod est in Menag. pr., aliud *populavimus* receptum in *R*. *Romanum* attingit Aen. VIII 132, ubi *didita*, quod habent *MPc*, correctoris vel librarii stupore in *Rγb* mutatum in *dedita* transiit nova corruptela in *debita*. Idem accidit VII 506, ubi *obusto FMVγbc*, ABVSTV *R*, *adusto* Menag. pr. cum Rottend. tertio, Leidensi, aliis. Versum Aen. X 872, quo liberi sunt *MPRγb*, eo saltem quod post 875 demum praebet spurium esse indicat Menagianus prior, sed interpolatione quam novit Servius suppletus est Aen. VIII 41. Grammatico debetur Aen. VII 631 pro *Crustumeri*] *Crustumenum*, i. e. *Crustumerium*: cf. Servius. Intulit commentator Aen. VII 341 *medullis*, quo expulsum quod necessarium est *veneris* (ut est in *MRVγbc*); 347 *mittit* pro *subdit* (*MRVγbc*); 390 *suadet* (*etenim MRγbc*); 400 *ubicumque* (*ubi quaeque MRγbc*: cf. Prisc.). Coniectura vetus a Servio commemorata est ecl. VII 19 *volebam*, ubi ceteri, *MPVγbc* dico, *volebant* servaverunt. Alia corrupti textus specimina adnotatio nostra critica suppeditabit. Etiam *alter Menagianus* Palatini manum priorem sequitur Aen. XI 698 *ore* (*ora MP2Rγbc*). Idem praebet 'antiquam' Servio teste 'lectionem' etiam in *bc* et alios quosdam libros inlatam *auras* (pro *aurae MPRγ*) Aen. XI 801. Quod Aen. XII 98 habet *celebrare* pro *lacerare* (*MPRγbc*),

Digitized by Google

nisi corruptum ex *terebrare*, coniectura quadam ortum fortasse
LA
est ex archetypi scriptura hac CERARE. Quod placeat unum sive felici emendatione sive ex integriore memoria *nescia* Aen. XII 648 pro *inscia* (*MPRbcmψ*) una cum Gothano tertio propagavit.

Ex *Moretanis primus*, quem inter optimos habendum Heinsius censuit, laudandus propter has scripturas: Aen. I 224 *dispiciens* (v. supra), IX 179 *it* (*et MPRγbc*), X 805 *arce* (*arte MPRγc*, Servius). Haud improbabile *consita* Aen. III 127 placuitque Heinsio prae illo *concita* (*FMPγbc*). *Secundus* conspirat cum *G* Aen. III 199, ubi dubium est utrum verius sit quod hi praebent *abrupti* an quod ex *FMPγabcψ* et Macrobio in textum recepi *abruptis*. Agnoscit quod 'alios' legere Servius adnotavit Aen. IX 99 *undas* (*undis MPRγbc*). *Secundus* et *quartus* integram servaverunt memoriam Aen. XI 613 sq. his: *ruina dant sonitum ingenti*, quae in *MPRγbc* correctorum temeritate, qui partim *ruinam . . . sonitu ingenti*, partim *ruinam . . . sonitu ingentem* voluerunt, varie sunt adfectata. In *quarto* solo ecl. I 59 recte legitur *aequore* pro *aethere* (ut est in *PRabc* et in grammaticorum praeter Probum commentis); idem ge. I 364 veram formam *supera* cum *Vratislaviensi* servavit, oblitteratam in *MRγbc* vulgari *supra*. *Fragmenti Moretani* singularia quaedam e. g. ad ecl. VII 14 et 46 enotavi.

Vetus coniectura, quam Servius commemoravit, legitur in *Montalbanio* Aen. I 552 *optare* (*aptare MPRγbc*). Bona scriptura *subitum* Aen. V 522 supra laudata.

Hamburgensem saeculi XIII membr., qui praeter Vergilii carmina integra cum Servii commentario Ovidii ex Ponto epistulas continens nunc in bibliotheca publica servatur, dum accuratius examino, Bernensium librorum *bc* adfinem et maxime *c* fratrem germanum esse facile intellexi. Sed quibus Heinsius usus est *ecclesiae Hamburgensis* codices duos anno 1784 vilissimo pretio Havniensis universitatis bibliothecae traditos esse litteris didici Peterseni, in catalogo quidem Hamburgensi p. 273 sic notatos:

n. 3360 *P. Vergilii Maronis Aeneis. Msc. membr. folia* 93.
n. 3361 *Eiusdem Aeneidos Libri* XII *Msc. membr. folia* 118. *In cuius margine passim diversitas lectionis ex optimae fidei ut videtur manuscriptis annotata legitur.*

Digitized by Google

Horum autem ex *priore* Heinsius prompsit quod verum est *cavens* Aen. X 417, iam ante Servium a quibusdam lectum pro eo quod ceteros codices (*MPRγbc*) occupavit *canens*. Ex *altero* memorabilis adfertur ablativus *qui* Aen. VII 388 pro *quo* quod *MRγbc* habent, et quod prae vulgato *absistunt* (*MPγbc*, *exsistunt R*) admodum placere fateor *absiliunt* XII 102: poterantque facillime LI litterae paulo neglegentius scriptae pro SI haberi.

Veneti praeclara scriptura est Aen. IX 141 *nunc*, de qua supra dictum. Aen. IIII 112 *foedere* pro *foedera* (*MPRfγbc*) veterem esse coniecturam Servius testatur: alia diorthotae nescio cuius commenta ad II 662 VII 361 IX 796 enotavi.

Sprotianus quoque Palatini et Gudiani propinquus agnoscitur coniectura *feras* quae Aen. VII 755 in *P2γ1* legitur. Palatini similis Aen. XII 755 etiam *Dorvillianus* est, ubi pro *elusus* (*MRγbc*) in Palatino $\overset{E}{\text{L}}$VPSVS, in hoc *elapsus* extat; tum VI 16 *Wittianus*, ubi pro *enavit* (*MRγbc*) *P1* ENNAVIT, ille *erravit* praebet. In eodem memorabile suspectos versus Aen. III 690 sq. omitti.

Recte fortasse in *Iani Parrhasii* exemplari omissus est Aen. IIII 395, sed neglegentia librarii praeteritus XII 897. Levior in hoc quam in *MPRγbc* corruptela quod Aen. IX 686 *adversi* pro *at versi* habet. Palatinum idem attingit cum *Walliano* Aen. V 261 *Ilion* scripto pro *Ilio*, ut est in *MRVγbc*, ex eodem fonte cum *Bigotiano* saec. XII et scholiasta Lucani Aen. XI 259 *domus* intulit pro *manus:* nam DAMVS in *P2* et *·amuf* in *γ1* legitur. Nec malum quod una cum *Veneto* praebet *iura* Aen. VII 365, ubi *cura MRγbc*. Moretano quarto et Vratislaviensi propinquus ge. I 364 formam genuinam *supera* saltem indicat scriptura *super*. Eodemque spectare videtur *Wittianus* Aen. VII 32. *Zulichemius* omisso Aen. IIII 257 interpolationem indicat. Communi cum *Pγ* labe affectus est XI 275 scripto *eadem* pro *adeo* (*MRbc*). *Regium Parisiensem* Masvicius testatur Mediceo nostro usquequaque simillimum esse, cuius recte tuetur manum priorem *consilium* Aen. XI 469, unde sollemni vitio *concilium* in *M2PRγ1bc* factum.

In *Io. Martini Regio* codice *Londinensi* extat quod Celsus vindicavit *germina* ge. I 332, ubi *gramina MRγbc:* utrumque in Palatini, qui *gramine* habet, archetypo videtur fuisse sic

Digitized by Google

scriptum: GRAMINA. (E written above) Einsdem *Arundelianus* ge. I 418 praebet quod etiam in γ a. manu priore fuisse videtur *viccs*, cum m.2 et *MRbc* habeant *vias*.

Meadianus unus quod omittit tres versus ge. III 37—39 quo spectare videatur significavi p. 38. Ex *Parisinis Potterii* secundo et tertio saec. X debeo restitutum versuum Aen. X 660—665 ordinem, einsdem sex (quorum 2. 3. 4. 8 saec. X, 7 saec. XI, 9 saec. XII) optimam Aen. X 705 emendationem *Paris*, ubi in *MPRybc* glossema *creat* irrepsit; quattuor (4. 7. 12 et 13 saec. XIII) locativum *humi*, in solo praeterea *c* m.2 restitutum, vulgari ablativo *humo* in *FMRybmψ* oblitteratum; duobus (7 et 11, qui est saec. XII) quod Capro et Hygino testibus reliquit Vergilius *limo* Aen. XII 120, ubi *lino MPRybc*. Idem no. 11 signatus cum *γ1b2* et grammaticis tuetur XI 657 *dia*, unde DIUUA in *M*, *diua* in *γ2c*, *dura* in *R*, *dira* in aliis factum. Ergo nescio an operae pretium facturus sit qui diligentius quam a Potterio factum esse dicitur Parisinos libros excusserit.

Ex *Havniensibus* unus turbati versuum Aen. X 714—718 ordinis suis ipse turbis utile indicium fecit, item *Lipsiensis alter*. Verborum ordinem alius Havniensis emendatiorem dat ecl. V 45, repetitum etiam in commento de ultimis syllabis p. 1403 P. (gr. Latt. IIII 233, 32 K.).

Ne *Gothani* quidem omni laude carent. Ex quibus *primus* quamvis, ut ait Heynius, 'vix ante saec. XV scriptus', Aen. IIII 439 *haud* servavit, corruptum in *MPγabcψ* voce *aut*. Mire cum Palatino consentit *secundus* in corruptela *inpressu* Aen. XII 303 pro *inpresso* (*MRybc*). Idem omissis duobus versibus ge. II 128 sq. eum uno genuino alterum saltem interpolatum sustulit. *Tertio* cum Menagiano altero [commune est *nescia* Aen. XII 648, de quo supra monitum, eum Bigotiano *monte* Aen. VIII 344, ut ceterorum *MPRybc* scripturam *more* corrigi voluit Schraderus. Praeterea interpolatum versum Aen. IX 121, quo carent *FMPRybc*, extra ordinem saltem post 142 inseruit. Plerisque placuit quod ex primo et tertio adfertur facilitate quadam commendatum *expectare* Aen. XI 738, ubi veteres *MRybcψ* cum Servio imperativum *expectate* tuentur, quem ut acerbiorem servavi, nec bene se excipere videntur haec: 'non segnes ex-

pectare', quoniam expectandi studium nullum est. Uni ex his debetur Aen. VII 129 *exiliis*, pro quo *exitiis* in *MPγbc*.

Omnino nondum adhibita sunt ex antiquioribus exemplaribus 1) fragmenta rescripta cum scholiis interlinearibus, quae in codice *Arundeliano Musei Britannici n.* 30 extare narrat Pertzius Archiv. IX p. 497; 2) *codex rescriptus Parisinus Regius*, olim Corbeiensis (nunc Sangermanensis n. 1287), unde Aspri fragmenta edidit Henricus Keilius (cf. praef. eius p. XV); 3) septimi saeculi codex quidam in bibliotheca Seminarii ecclesiae *Augustodunensis;* 4) vel septimi vel noni *Bodleianus* Oxoniensis (cf. Blumii iter Ital. I 234. 210 sq.); noni vel decimi 5) *Montispessulanus* in bibl. acad. medicae, et 6) eiusdem aetatis qui *Clermontii Ferrandi* in bibl. oppidana servatur (cf. Haenelius et Heynius IIII 624).

§ 17.

Iam satis, ut spero, demonstratum et quam varie iam inde ab antiquo tempore carmina Vergiliana adfecta corruptaque fuerint et redire omnem nostram memoriam ad unum archetypum currenti stilo parum nitide scriptum oppletumque nube coniecturarum, glossematum atque interpolationum. Quod firmari etiam potest duobus argumentis, uno quod multis in transponendo singula vocabula congruentiae inter codices modo hos modo illos exemplis continetur, altero, quod locorum quamvis modicus numerus extat in omnibus libris corruptorum, ut emendatio adhibenda sit.

Transpositorum vocabulorum exempla haec habeto:

in *FMRbc* et apud Macrobium Aen. VI 731 *noxia corpora*, inv. ordine melius *Pγl*,
- *FIM* Aen. IX 56 *se dare* (*dare se PRγbc*),
- *MPγc* et grammaticorum commentis quibusdam ge. III 548 *iam nec mutari* (*nec iam m. Rb nec mutari iam* Macrobius),
- *MRγbc* Aen. V 731 *Latio est* (*est Latio P*, om. *est* χ),
- - - XII 641 *ne nostrum* (*nostrum ne P*),
- *MRγcψ* - XI 653 *si quando in tergum* (*in tergum si quando b*),
- *MRbc* - X 512 *tempus versis* (*versis tempus Pγ*),

in *MfR* Aen. I 333 *et vastis* (*vastis et M2Pγbc*),
- - - VII 5 *Aeneas exequiis* (*exequiis Aeneas FM2Pγbc*),
- *Mγabc* cum Servio et aliis grammaticis ge. II 69 *fetu nucis arbutus horrida* (correctum in *M*),
- *PRVγbc* Aen. V 281 *velis subit ostia plenis* (*plenis s. o. velis M*),
- - - VII 681 *legio late* (*late legio M*),
- *PRγabcψ* cum veteribus quibusdam ecl. V 45 *carmen nobis* (*nobis carmen* Havn., de ult. syll.),
- *PRγbcm* Aen. X 381 *vellit magno* (*magno vellit M*),
- - - XI 378 *semper Drance* (*Drance semper M*),
- *Pγbc* Aen. IX 417 *telum summa* (*summa telum MR*),
- *Pγb* - V 503 *volucris iuvenis* (*iuvenis volucris MRc*),
- *Pγc* - IX 674 *patriis iuvenes* (*iuvenes patriis MRb*),
- - - X 137 *cervix fusos* (*fusos cervix MRb*),
- *Pγ* - V 516 *figit nigra* (*nigra figit MRbc*),
- - - - 592 *nati Teucrum* (*Teucrum nati MRbc*),
- - - VII 2 *famam moriens* (*moriens famam FMRbc*),
- - - VIII 149 *teneant supra* (*supra teneant MRbc*),
- - - X 59 *patriae cineres* (*cineres patriae M Vbc c. patrios R*),
- - - - 729 *sic densos inruit* (*sic ruit in densos MRbc*),
- *Pc* - VIII 397 *Teucros nobis* (*nobis Teucros MRγb*),
- *Rγbc* - V 722 *facies caelo* (*caelo facies MP*),
- *Rγb* - X 484 *medium cuspis* (*cuspis medium Mcm*),
- *Rb* - X 665 *interea medio* (*medio interea MPγc*),
- *Rc* - V 235 *pelagi est* (*est pelagi MPγb*),
- - - XII 16 *crimen ferro* (*ferro crimen MPγb*),
- - - - 870 *scindit crinis* (*crinis scindit MPγb*),
- *Rm* - IX 432 *pectora candida* (*candida pectora MPγbc*).

Ex quibus quaedam sola librarii neglegentia, alia commentandi causa, ut quam maxime fieri posset vulgaris verborum ordo evaderet, pauca fortasse propter certas quasdam metricas rationes transposita sunt.

Restat ut eos locos perlustremus, qui corrupti in omnibus libris nostris nec antiquorum testium ope, sed nostra Minerva emendandi sunt. Ecl. III 110 *aut metuet dulcis aut Ryabcmψ*, Servius, quae *hau temnet d.*, *haut* scribens correxi. Ecl. VI 80 Silenus narrasse fertur, Philomela

quo cursu deserta petiverit, et quibus *ante*
infelix sua tecta super volitaverit alis.

Ubi 'cursum' interpretes intellegunt volatum lusciniae quo, antequam silvarum deserta petiverit, supra sua tecta vagata dicatur. At parum ad rem aptum Philomelam quasi detentam amore et desiderio aegre eam domum reliquisse, ubi indignissima passa sit. Nec Philomelae, sed Terei proprie tecta erant, et huius 'mutatos artus' cum v. 78 narravisse feratur Silenus, ipsius volatum commemorari expectamus. Ergo dum Philomelam deserta petentem persequitur infelix pater in avem mutatur. Hac autem admissa ratione prorsus caret sensu *ante*, contra bene subita mutatio oculis proponitur eo quod *alte* sua tecta super volitare narratur Tereus: cf. Aen. XI 751. De confusis N et L litteris supra dixi. De eclogae VIII 49 ubi *at* scripsi pro *an* librorum *MP γabcψ* scriptura laetor me nunc Ladevico quoque persuasisse. N pro T scripta in *M* est etiam ge. IIII 278 *et*] E$\overset{\text{T}}{\text{N}}$.

Georgicon I 142 ab Ottone Hanowio emendatum supra p. 54 laudavi. Ad restituendum II 302 Mediceo recte usus est Wagnerus. Necessaria Scaligeri emendatio, qua III 402 *exportans* fecit ex eo quod in *MPRVγbcψ* et apud testes antiquos invenitur *exportant*. Reiskii coniecturam perfeci IIII 62 *tussos* eliciendo ex *iussos* corruptela codicum *MPγabcψ*: quamquam Ladevicus et languidum et metrica poetae nostri arte parum dignum *iussus* periclitari maluit. Eiusdem libri v. 129 Salmasius feliciter restituit *Cereri*, quod quam facilis archetypi librario videri potuerit *pecori*, ut *MPγabcψ* cum Nonio et Servio exhibent, iam ex tabula nostra supra composita disci potest. Nam eorum perversa explicatio est, qui haec 'nec fertilis illa iuvencis' de sterilitate agrorum frustra bobus aratorum, sequentia 'nec pecori opportuna seges' de pascuis intellegi volunt, non sentientes quam inepta intra eiusdem versiculi fines *pecoris*, ovium scilicet capellarumque, et *Bacchi* oppositio sit. Multo et ad sententiam aptius et sermoni convenientius prima illa ad herbarum inopiam

referuntur, quae ad pastum non sufficiunt (nam pascuntur iuvenci quoque: ecl. VII 11 ge. I 15), tum ut frumenta et vineta intellegantur. Valde suspectus quem ge. IIII 355 *GMPRγbcψ* et Servius tuentur spondeus *Penei*, qui commentandi causa suprascriptus quid potissimum textu expulerit difficile dictu est: *nostri* nuper Peerlkampus proposuit.

Corrupto *Aeneidis* exemplari iam Silius deceptus est, qui I 317 cum *MPRγbcψ*, grammaticis et qui ipse graviter offendit Servio *Hebrum* legit, quem debere *Eurum* esse monuit Rutgersius, et mutata semel V in B, ut m.1 in γ extat *ebrum*, proclivis coniectura erat cum Thraciae flumine quamvis lento Threissae feminae cursum comparari. Cf. Bentleius ad Hor. carm. I 25, 20. Ex similis loci X 563 comparatione inlatum I 343 in *MRγbcψ* (nam de *P* non liquet) et Servii Pompei Cassiodori libros *agri*, cum nec ad Phoenicum nationes bene quadret arvorum laus et tota narratio (Pygmalion 'auri caecus amore' 349, thesauri tellure reclusi, 'ignotum argenti pondus et auri' 358 sq., 'avari Pygmalionis', heredis scilicet, 'opes' 364) flagitet *auri* commemorationem, quam Huetio auctore in textum recipere non dubitavi. Varia iam veteres temptaverunt ut Aen. II 75 expedirent. Tradita quae sunt in libris *MPγabcψ* et apud Servium

hortamur fari, quo sanguine cretus
quidve ferat, memoret quae sit fiducia capto,

recte defendi non possunt. Nam ner nuntium adferre captum hominem Graecum conici nec de gementis et summam desperationem simulantis (69 sqq.) fiducia ulla quaeri poterat. Turbae hic quoque inlatae sunt adscripto simili loco Aen. X 149 sqq., ubi Aeneas Tarchonta

regem adit et regi memorat nomenque genusque
quidve petat quidve ipse ferat — —
— — — — — —
— — — — — —
— humanis quae sit fiducia rebus
admonet *e. q. s.*

Sed emendandi causa conferenda erant ex Aen. III 608 sq. ubi Achaemenides adducitur:

qui sit fari, quo sanguine cretus
hortamur, quae deinde agitet fortuna fateri.
ipse pater dextram Anchises haut multa moratus
dat iuveni, atque animum praesenti pignore firmat.

Nam quoniam Troianorum 'conversi animi compressus et omnis impetus' fuit lacrimis Sinonis, ipsos consentaneum erat operam dare ut excitarent iuveni animum fiduciamque loquendi sermonis clementia facerent. Quamquam illud, ut dextram ei Priamus ipse porrigeret, et nimium erat et refellitur eis quae v. 146 sq. narrantur. Aptum erat Homericum illud τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; ab Ovidio quoque in her. II 106 translatum. Restitui ergo *quive fuat* (cf. X 108), *memores*. Ipsi Varius et Tucca minus recte Aen. IIII 436 litteras quasdam interpretati sunt, cum T haberent S et pro N legerent R. De mea emendatione dixi p. 94.

Falsam esse Aen. V 139 codicum *FMPRγbcψ* scripturam *finibus* perspexit Peerlkampus, nec umquam de statione, intra quam naves in portu continentur, vox illa usurpata. Quae ubi tendunt in altum, *funis* convellitur (ge. I 457), litore deripitur (Aen. III 266), rumpitur (639 X 659), inciditur (III 667 IIII 575), solvitur (V 733), laxus immittitur (VIII 708). Ergo hic quoque, ubi sonitum dedit tuba, subito impetu ('haut mora') *funibus* omnes prosiluere suis: et mutatae a librario in hoc vocabulo vocalis exempla habes in eodem libro v. 488. 773, in II v. 238. Frustra Servius laborat, ut quibus tandem *curis* Aen. VI 520 Deiphobus dicat confectum se fatali illa nocte dormivisse expediat, quam 'falsa inter gaudia' (513) egerant: nec solet qui curis confectus tandem obdormivit placidae simillima morti quiete (522) opprimi. Verum quid esset sensit Schraderi acumen, qui *choreis* vel 'thiasis' restitui iussit, poteratque illud omissa semel aspirandi nota (ut IX 615) facillime in *curis* depravari. Cf. Horatii carm. IIII 6, 15.

Lenissima medela Peerlkampus Aen. VII 430 sanavit. Ego certe non dubito quin multo pulcrius excitetur Turnus his

armari pubem portisque moveri
laetus in *arva* iube,

quam si ipse, ut in libris *FMRγbcψ* est, 'laetus in *arma*' esse iubeatur. Estque sollemnis fere horum vocabulorum in codicibus commutatio: nam *arma*, ubi intellegenda *arva*, habent *M* Aen. X 741, *Pm* I 569, *Rγ?c?* ge. III 475, *γ* ge. III 201, *b?* Aen. I 246; *armis* pro *arvis* *Mγ* Aen. XII 237 et *R* VII 736. Hic autem etiam accessit v. 468 ('iubet arma parari') comparatio, unde inlatum *para* pro *iube* in *FRγbc*. In eodem libro v. 667 conieci inserendum esse *os*, quod deest in *MPRVγbcψ*. Falso legit librarius Aen. VIII 211 *raptos*, ubi *raptor* verum esse in-

Digitized by Google

tellexit Wakefieldus. Nam molestissima haec 'cauda in speluncam *tractos* versisque viarum indiciis *raptos* saxo occultabat opaco'; quasi raptos esse nondum satis inculcavisset poeta et verbo 'avertit' v. 208 et narrato vestigia vertendi artificio. Atrociter ut solet metricorum gloriosissimus invexit in numerorum quibus Aen. IX 67 artem corruperim insolentiam. Quae si me fugisset, non adnotavissem in emend. Verg. p. 16 consilio spondeis uti poetam 'ad depingendas oppugnandi moras, quo velocius postea dactyli ad aures acciderent.' Poteram addere pervicaciam et torvam mentis obstinationem, qua inrumpendi locum dispiciat, Turnus his ipsis monosyllabis quamvis insolitis bene exprimi:

> qua temptet ratione aditus et *qua vi* clausos
> excutiat Teucros vallo atque effundat in aequor.

Nam quod et Servius in suis et nos in exemplaribus *FMPybcψ* legimus *via* tum demum concedam verum esse, si quis docuerit viam, non vim recte dici excutere et effundere Teucros in aequor: cf. II 494 X 864 et maxime IX 399. Aen. IX 146 quod reposui *sic* pro eo quod in *FMPRybcψ* traditum est *sed* video nunc Ladevico quoque placere. Necessaria nescio cuius ex editoribus ante Pierium emendatio est, qua in v. 226 *et* inseritur, omissa in libris quotquot novimus omnibus *FMPRybcψ*. Versum 403 iam Asper corruptum legit, quem secutus est Priscianus, et temptatum esse a criticis veteribus prodit varia codicum *MPybcmψ* et *RV* scriptura: correxit mea sententia Bergkius. Non excusatur in his 512 sqq.

> saxa quoque infesto volvebant pondere, siqua
> possent tectam aciem perrumpere: *cum* tamen omnis
> ferre *iuvat* subter densa testudine casus.
> nec iam sufficiunt *e. q. s.*

indicativus *iuvat* alacritate quam Wagnerus praetexit orationis. Notissimum est quod eodem fere temporis momento, quo aliud quiddam agitur, maxime autem quod semel subito fit, mera temporis significatione indicativo post coniunctionem *cum* exprimi (exempla quaeras apud ipsum Wagnerum ad III 301). Sed 'cum tamen', quibus hic opponitur constantia, qua repetitos saxorum iactus sustinuerint hostes, flagitant meo sensu coniunctivum, quem tamen cave elicias ex Palatini m.1 IVBET scriptura, quam non ex *iuvet*, sed ex glossemate *iubet* ortam esse docent *MRbm*. Hoc autem, omnes ferri casus, poeta si adfirmavisset, parum fortiter statim

v. 515, ubi negat id ipsum, intulisset 'nec iam sufficiunt'. Vim et elegantiam loco reddidisse mihi videor mutato quod in *FMP Rγbcψ* extat *cum* in *num:* de quo supra dixi. Langnet magnopere quod IX 676 nostris exemplaribus *MPRγbcψ* traditur de Pandaro et Bitia 'freti *armis*'. 'Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos' non armis, quae v. 678 simplicissime his 'armati ferro' absolvuntur, sed ut Homeri *M* 135 Polypoeten et Leonten (qui χείρεσσι πεποιθότες ἠδὲ βίηφιν dicuntur) viribus suis vel fortius, ut vidit Peerlkampus, *animis* fretos esse decebat, et laudantur animi Bitiae etiam v. 703. Qui meminerit et ge. II 81 'exilit', quod Gudiano et Nonio debetur, in 'exiit' transiisse in *Mabc*, et 'transilit' Aen. X 817 in paucis recentioribus *cmχ* servatum, corruptum esse formis 'transiit' in *MPγb* et 'transit' in *R*, vix dubitabit paulo ante in eodem libro nono v. 785, ubi apertior etiam corruptela in *M* scriptura 'transiet' proditur, unde diorthota *transiit* (*M2PRγbc*) fecit, idem verbum *transilit* (cf. XII 859) restituere. At ne in textum reciperem dissuasit quod hasta quamvis per clipeum penetraverit et in inguine sederit, tamen vires haud pertulisse narratur, ut minus veloci videatur impetu aes et taurina terga superavisse. Ergo praetuli hic Lachmanni coniecturam *transit*. Tardandi verbo cum semper transitivo usus sit Vergilius (Aen. V 395. 453 VI 731 XI 21. 549 XII 746), valde suspecta quae ne veteribus quidem nullam moverunt dubitationem X 857 de Mezentio dicta 'quamquam vis alto volnere *tardat*'. Nam et variant libri formis *tardat* et *tardet* et significavit Palatini diorthota alteram vocis 'quamquam' syllabam delendam esse nec Servius ausus est vim intellegere Mezentii, sed quamvis perversa ratione ad vulneris violentiam rettulit servata tamen sic transitiva verbi 'tardare' significatione. Ergo probabilis Peerlkampi coniectura, qua excidisse in archetypo *dolor* vocabulum, lacuna autem a correctore vetere duplicata *quam* syllaba expleta fuisse statuitur, quo semel admisso consectarium erat coniunctivum verbi *tardet* mutare indicativo. Quamquam ne illud quidem quod Hoffmannus proposuit 'quamquam vis alti volneris ardet' omni caret probabilitate, cum
T E
in *M* ARDAT scriptum et S littera saepissime in libris nostris pro T habita sit. Peerlkampum ut sequerer commutandis verborum *acceperit* et *asciverit* sedibus Aen. XI 471 sq. maxime

Digitized by Google

movit vocabulum *ultro,* quod non credo recte componi cum accipiendi verbo. Damus obferimus adferimus mittimus petimus occurrimus venimus adsumus fugimus adfamur ultro, sed qui *accipit,* sequitur voluntatem alterius, ergo nihil ultra id facit quod voluit alter. Contra *ascire* ultro priusquam accipere cogamur recte dicimur, legiturque hoc ipsum '*asciverit ultro*' XII 613, ubi ex nostro loco duo versiculi interpolati sunt in *cχ*. Nec magni facio quae opposuit nuper Ladevicus, nec uxorem Laviniam nec ut in urbem acciperetur petivisse Aenean. Spectat enim *generum* ad utrumque verbum, nam et asciscendum generum et accipiendum regni socium fuisse sero intellegit Latinus. Debile videtur quod ex *Rc* legi solet XI 728

> Tarchonem in proelia saeva
> suscitat et stimulis haut mollibus *inicit* iras.

Nec omnino quidquam stimulis proprie inicitur, sed foditur acuitur agitur lacessitur excitur excitatur arrigitur concutitur: iniciuntur adiciuntur subiciuntur adduntur subduntur moventur vertuntur ipsi stimuli. Ergo in eodem libro v. 451 sq. poeta scripsit

> extemplo turbati animi *concussaque* volgi
> pectora et *arrectae* stimulis haud mollibus irae.

Atqui nostro loco facili errore librarius archetypi codicum *MPγb* ad eius quod in principio versus legitur *suscitat* similitudinem *incitat* tradidit, unde leni medela Heinsius quod sermonis usu flagitatur *incutit* effecit. Quod si verum est, hic quoque ut saepissime glossema irrepsit in *R*. Quod Aen. XII 55 libris *MRγbcψ* traditur

> at regina . . . .
> flebat et ardentem generum *moritura* tenebat

sensum haberet, si, postquam frustra precata esset Turnum, mortem sibi paravisset Amata. Neque enim solet poeta imminentis mortis mentionem facere nisi ubi statim consecutura est: ergo Priamus fertur moriturus in hostes II 511, item alii in proelio IX 398. 511 X 881 XI 741, item Dido 'testatur moritura deos' IIII 519 (cf. 415. 604), et ipsa regina infra ubi vere mortem adit XII 602 'moritura manu discindit amictus et nodum informis leti trabe nectit ab alta'. Sed hic praesagire mortem ineptum erat. Contra apte addi poterat verbum quod sequentibus precibus praefaretur *monitura*, quod restitui: de corruptela cf. IIII 436.

De versibus vel spuriis vel transponendis vel supplendis aliis locis disserui.

Caput XIV.
Versus scholastici quidam.

Corollarii loco scholasticos quosdam versus, qui in codicibus Vergilianis a me adhibitis leguntur, hic ad eorum fidem recognoscendos esse duxi. Ediderunt eos cum ceteris einsdem generis P. Burmannus in anthologia vett. Latinn. epigr. et poem. II n. 192. 191. 190. 189 (cf. Henrici Meyer anthol. Lat. vol. I n. 862. 860. 836) et Heynius in Vergilii sui a Wagnero repetiti vol. I p. CXLIV sqq. n. I. II. V. VII; quaeque eorum in Leidensi codice Ausonii extant nuper Lucianus Muellerus in mus. Rhen. XIX 114 sqq. excussit. Ex Burmanni apparatu pauca tantum notabiliora in commentario critico attuli.

Praefatio.

Vergilius magno quantum concessit Homero,
tantum ego Vergilio Naso poeta meo.
nec me praelatum cupio tibi ferre, poeta:
ingenio si te subsequor, hoc satis est.
argumenta quidem librorum prima notavi,
errorem ignarus ne quis habere queat.
bis quinos feci legerent quos carmine versus,
Aeneidos totum corpus ut esse putent.

Adnotatio critica. *Siglorum notae praeter solitas*: *h* = *Hamburgensis* *l* = *Leidensis Vossii* *p* = *Petavianus* ω = *Burmanniani omnes* ψ = *Burmanniani plerique*. *Praefatio*. *Extat in* γ*lp*. CARMEN OVIDII NASONIS γ incipit episrammatum obidii nasonis in libris eneidarum uergilii. praefatio *l* 1 magno *om*. γ qnantus γ 2 uirgilio γ 3 poetam *p*, *Muellerus*. *An* flore, poeta? 5 priva *Muellerus* 6 errore γ 7 legere ut feci *i. e.* legerent feci γ*p* 8 totam γ 9 *sq. spatio separati ab antecedentibus in l, reponendi au-*

adfirmo gravitate mea me carmine nullum
livoris titulum praeposuisse tibi.

Decasticha Aeneidis argumenta.

I.

Vir magnus bello nulli pietate secundus
Aeneas odiis Iunonis pressus iniquae
Italiam quaerens Siculis erravit in undis.
iactatus tandem Libyae pervenit ad oras,
ignarusque loci, fido comitatus Achate
indicio matris regnum cognovit Elissae,
quin etiam nebula saeptus pervenit in urbem
abreptosque undis socios cum classe recepit.
hospitioque usus Didus per cuncta benignae
excidium Troiae iussus narrare parabat.

II.

Conticuere omnes. tum sic fortissimus heros
fata recensebat patriae casusque suorum,
fallaces Graios simulataque dona Minervae,
Laucontis poenam et laxantem claustra Sinonem,
somnum quo monitus acceperat Hectoris atri,

---

tem videntur post v. 4 9 grauitatē γ camine (r *supra*) nullum *l* crimine nullo *Muellerus* 10 titulos *idem* proposuisse γ.

Decasticha. Praefationem in γ secuntur primum tetrasticha georgicon argumenta, deinde monosticha Aeneidis, tum demum haec decasticha. Extant eadem praeter lp in Hbch singulis libris praemissa, sed ut antecedant singula monosticha, de quibus v. infra. INCIPIT· VERSVS· OVIDII· NASONI· *c* VERSVS OVIDII NASONIS *h*. I. 2 PRAESSVS *R* 4 naufragus et tandem Libyae est advectus ad oras *l* 5 ACHATAE *R* 6 regna *c* helissae *l* 7 septus *c* in *l*, *Vossiani* AD *Rybch Burmanniani* 8 ADREPTOSQVE VNDIS SOCIOS *Rybch*, *nisi quod* arreptos *c*. Abreptos socios undis *l* 9 didoiſ *c* didoyſ *h* benigne *c* II. *extat praeter alios in Rybchl* PROLOGVS OVIDII *h* 1 tunc *γbclω* 2 PATRIAE *Rhl Mentel. Menag. al.* troiae *bc* troiaeq· γ caſuſſuſq: (*sic*) *b* 3 minerua. *b* 4 Laucontis: *cf. L. Muelleri de re m.* p. 265 *et ind. gramm.* Laucoontis *l* Laocontiſ *bch*, *Menag.* LAOCOONTIS *Rγ* laocoantis *Mentel.* et *om. γbcl* laxan en γ clau(ſ)ra (cl *in ras.*) *b* sinonem (si *in ras.*) *b* 5 SOMNiVM *R*

iam flammas caeli, Troum patriaeque ruinas,
et regis Priami fatum miserabile semper
inpositumque patrem collo dextraque prehensum
Ascanium frustra a tergo comitante Creusa,
ereptam hanc fato, socios in monte receptos.

III.

Post eversa Phrygum regna ut fuga coepta moveri
utque sit in Thracen primo devectus ibique
moenia condiderit Polydori caede piata,
regis Ani hospitium et Phoebi responsa canebat,
coeptum iter in Cretam, rursus nova fata reperta,
naufragus utque foret Strophadas compulsus ab undis;
inde fugam ac dirae narrat praecepta Celaenus,
liquerit utque Helenum perceptis ordine fatis,

---

l
ACCEPERIT *Ryh, fortasse vere: cf.* III 3 atrum *γbchψ* 6 famaſ *b* famaſ *γc* ruinam *γ* 7 REGNVM *R* FATO *R* 8 IMPOSITVMQ· *Rych* collnm (u *corr. in* o) *b* dextram *b* PRAEHENSV̄ *R* 9 a *l, om. Rybchψ* CREVSA (E *in ras.*) *R* 10 ereptam fat^{o}a *b* erepta fata *γ* INMONTE *nulla interp. continuat R* in mente *γ* receptoſ (cep *in ras.*) *b* III. *Deficit R, extant in γbcl: nam h non amplius contuli. Ceteris in b antecedit hic versus, ex monostichis repetitus:*

Tertiuſ a troiac uectoſ canit aequore teuceroſ

in quibus Troia *corrigendum. Eodem autem ordine singulorum librorum decastichis antecedere monostichon in R supra narravi.* 1 frigū *γ* ut *om. γbc* fugam *b* caepta *b* ·cepta *γ* mouere *γ* 2 Atque *b* in tracē *γ* itrarem *b* primo *γc* primum *l* primi *b* deuectuſ *γ* deiectuſ *b* ubiq. *γcl* 3 condiderat *γψ* peli dorice depiata *c* polidorice piata *γ* 4 Legiſ c Ani *conieci.* unii *l* ad *γbcω* ut *Vossianus, L. Mueller* oſpitium *cl* pebi *b* canebat: *cf.* II 2 canebant *Burmannus, L. Mueller* 5 Caeptnm *b* creten *γbc* noua facta *γ* 6 naufragaſ *γc* fuerit *Menag. alt.* c̄pulſu *γ* ad undaſ *γbc* ad udas *Heinsius* 7 frugā *γ* ac dirae narrat *conieci.* et dirae narrat *Menag. pr., Leid. alt., item, nisi quod om.* narrat *l* et ira enarrat *b* &ire enarrat *c* atque itē narrat *γ* atque iterum *Mentel. alter cum al.* praecepta horrenda *l, unde* percepta oracla *temere L. Mueller* caelenuſ *bc* cyllenuſ *γ* 8 Liqueret *γ* ^{N}iqueretur *b* perceptis

supplicem Achaemenidem Polyphemo urguente receptum
amissumque patrem Drepani. sic deinde quievit.

IV.

At regina gravi Veneris iam carpitur igni.
consulitur soror Anna: placet succumbere amori.
fiunt sacra deis, onerantur numina donis.
itur venatum, Veneris clam foedera iungunt.
facti fama volat. monitus tum numine divum
Aeneas classemque fugae sociosque parabat.
sensit amans Dido precibus conata morari.
postquam fata iubent nec iam datur ulla facultas,
conscenditque pyram dixitque novissima verba,
et vitam infelix multo cum sanguine fudit.

V.

Navigat Aeneas. Siculas defertur ad oras.
hic manes celebrat patrios, una hospes Acestes.
ludos ad tumulum faciunt, certamina ponunt.
prodigiost cunctis ardens adlapsa sagitta.

Burmannus ex Menagiano? p̃ceptiſ *yc* praeceptiſ *blψ* 9 achemenidē *γ* acemenidem *c* poliphemo *γ* polifemo *bc* urgento *el* ungente *b* receptum
ſ
l? receptat *Voss. Ausonii* recepit *γbcω* 10 Amiſum *b* Drepani. sic *Aldina, L. Mueller* drepaniſ hic *l, Menag.* drephaniſ hic *c* dephaniſ hic *γ* dreſanis hic *Mentel. uterque, Menag. alt.* ſaniſ hic *b* IV. *Extant in Rybcl.* 1 agni *γ* 2 Consulit *e* ſoror *om. γc* 3 dieſ *c* hone-
n
rantur *l* honorantur *γ* 4 Igitur *e* ueneri *c* iã *γ* iugunt *c* 5 Factum ſama notat *l* tunc *γc* 6 classim *e* que *om. γ* so-ciiſ *c* 7 PRAECIBVS *R* mouere *c Mentel. al.* 8 uidet *cl* ulla loquendi *γe* 9 CONSCENDIT· PYRAM *R.* V. *Deficit R, extant in γbcl. Ceteris antecedit in γb hic versus:*

Quintus habet ludos et classem corripit ignis.

t c
(habeſ *b* laſſem *b*), *quem in b hic etiam ex monostichis praecedit:*

Manibus ad tumulum quinto celebrantur honores.

Ergo in vetusta exemplari varia singulis libris argumenta videntur praeposita
c
fuisse. 1 ſimulaſ *b* 2 patraſ *γ* 3 Ludoſ, at *c* 4 *om. γ, post 6 inserit b* Prodigio est *Heinsius: cf. Aen.* V 522 *sq.* Prodigioſa & *c*

Iris tum Beroen habitu mentita senili
incendit naves, subitus quas vindicat imber.
in somnis pater Anchises, quae bella gerenda
quoque duce ad manes possit descendere monstrat.
transcribit matres urbi populumque volentem
et placida Aeneas Palinurum quaerit in unda.

VI.

Cumas deinde venit. fert hinc responsa Sibyllae.
Misenum sepelit: mons servat nomen humati.
ramum etiam divum placato numine portat.
at vates longaeva una descendit Avernum.
agnoscit Palinurum et ibi solatur Elissam
Deiphobumque videt lacerum crudeliter ora.
umbrarum poenas audit narrante Sibylla,

Menag. alt. Mentel., om. et *alii.* Prodigiū. ē *bl* Prodigium est *Burmannus*
t
delapfa *b* fagita *c* 5 *om. γ* Trif *c* tum *conieci* tunc *Menag. al.* item *l* te *ut vid.*, *eras. c* nutricem *b* anum *Heinsius* berohent *b* bercem *c* abitum *c* fenuli (u *eras.*) *c* 6 *om. γ* fubitaf *b* indicat *c* himber *b* 7 que *γ* *In b pro illo versu haec leguntur:*

g n
Cunenatum achifef folatur noctif in umbrif,

sic corrigenda:

Tum gnatum Anchises solatur noctis in umbris

quae magis quam illa placent: nam quae bella gerenda *memorat Anchises*
d
Aen. VI 890. 8 Quoque *l* Coge *c* duceē *γc* difcendere *c* narrat *b* 9 Tranf feribit *γc* moref *b* urbif *b* popl̄m *γ* ' uolentem *cl*, *ut Aen.* V 750 uoálcántē *b* uolentef *γ* 10 placidū *γc* placidum *b* placitum *Venet.* amifit *c* undif *γbcω* VI. *Extant in Rybcl.*
m
1 CYMAS *R* 2 mof *c* SERVANS *R* 3 Ranū *b* etiam diuū *bl* ETIAM·VIVVM *R* etiam antea diuum *c* etiā ante deū *γ*, *Mentel. sec. cum aliis: vere, nam praecedunt haec de ramo* 204—211 *reperto Miseni sepulturae v.* 212 *sqq.* et antea divum *Mentel. pr.* 4 AT·VATES·LONGAEVA·*Rb* At uatef tecta atq· *γc* At uatis tecta atque *Mentel. al.* Ad uatif tecta adque *l* Et uatis tecta atque *Leid.* Averno *ut Aen.* VI 126 *mavult Francius, L. Mueller p.* 119 5 palinuron ibi et *l* helissam *l* alissa *γ* 6 Dephoebū *c* uidit *c* LATERVM *R* 7 poenā *γ*

convenit Anchisen penitus convalle virenti
cognoscitque suam prolem monstrante parente.
haec ubi percepit, graditur classemque revisit.

VII.

